



usfeud.

154.

J. Fend. 2728. a






JACOBI FRID. LUDOVICI,

Jurium Licentiati & Professoris Publici  
Extraordinarii,

# COLLEGIUM JURIS FEUDALIS,

Potiores quæstiones in hoc jure con-  
troversas succinctis thesibus inclusas & ad nor-  
mam genuinorum jurisprudentiæ prin-  
cipiorum decisas exhibens,

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
PUBLICIS DISPUTATIONIBUS  
ventilatum.



---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Apud CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERUM, Acad. Typ. 1701.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

ACADEMIA IMPERIALIS PETROPOLITANA

ANNO MDCCCLXVII. FEBR. V. P. 1707.

*PER ILLUSTRIBUS ATQUE EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS,*

**DN. JOHANNI FRI-  
DE RICO BACHOV,**

**LIBERO BARONI AB ECHT,**  
Hereditario Domino in Dobitzsch, Romschitz, Heu-  
kendorf, &c. &c.

S. Cæs. Majest. Consiliario Aulico & Sere-  
nissimi Ducis Saxo-Gothani Consilii  
Status Directori, &c. &c.


**DN. GEORGIO DIE-  
TERICO PFLUGK,**

Hereditario Domino in Posterstein & Volmers-  
hagen, &c. &c.


Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Consiliario  
intimo atq; Cancellario, nec non Con-  
siliarii Aulici Jenensis Vice-Præsidi,  
&c. &c.

**DOMINIS SUIS ET MÆCENATIBUS  
BENIGNISSIMIS**

**FELICITATEM!**



# HIC ODISSEUS.



Xigum haud est  
tempus non præ-  
terlapsum , Peril-  
lustres atq; Excel-  
lentissimi Domi-  
ni , ex quo Filios  
vestros, virtutū Paternarum æmu-  
los, ad Academiam nostram trans-  
misi-

misistis, ut quæ alibi feliciter jam-  
dum ceperant studia, in hac nostra  
ulterius prosequerentur, iisdemq;  
ultimam, quod dici solet, manum  
superadderent. Affectus eorum,  
quô in honesta & liberalia studia fe-  
runtur, intentioni Vestræ & voto  
per omnia respondit, unde factum,  
quod inter alios mihi etiam felici-  
tas obtigerit, viam, quâ eundum e-  
rat, quadantenus ipsis monstrandi  
eosque in decursu stadii sui pro vi-  
ribus adjuvandi. Neque verò eo  
contenti esse voluerunt, ut in col-  
legiis & privatis & privatissimis in-  
dustriam suam & studium inde se-  
p

sum' docentibus comprobarent ;  
sed publicis etiam speciminibus  
probatum dederunt, quantum in  
arte æqui & boni, sive, ut distincti-  
us dicam, in interpretandi & appli-  
candi habitu profecerint. Colle-  
gium juris feudalis, quod in præ-  
fenti VOBIS offero, Per-Illustres  
Domini, ipsorum etiam industriæ  
suos adscribit natales. Neq; enim  
mihi unquam in mentem venerat,  
controversias juris feudalis publi-  
cis disputationibus ventilare, pri-  
usquam Eorum hortatu & svasu  
ad capiendum hoc consilium in-  
ducebar, præcipue cum statim duo  
alii

alii illustri & nobili sangvine pro-  
gnati juvenes illis sese sociarent,  
quod adhuc magis me impellebat,  
ne Eorum desiderio me subtrahe-  
rem. Ex quo simul causa patefecit,  
quæ me impulit, ut hoc collegi-  
um per-illustri nomini VESTRO in-  
scriberem. Scilicet aliæ aliis esse so-  
lent causæ, mihi autem nulla alia  
fuit, quam ut publicum testimoni-  
um perhiberem, qua ratione sco-  
pum vestrum in Filiis Vestris asse-  
cuti sitis. Neque enim hi, ut inter-  
dum solent Respondentes, *in spe*  
*atque silentio* expectarunt lapsum  
temporis ad disputandum destina-  
ti; sed

ti; sed motas ab opponentibus eruditas objectiones erudite etiam removerunt. Plura non addo, sed ad Auditores, qui præsentes fuerunt, provoco. Id saltem à Vobis ea, qua decet, submissione expeto, Per illustres atque Excellentissimi Domini, ut præsentem conatum meum benignissime excusetis, meque gratia Vestra complecti haud dedignari velitis. Conservet Vos

FAMILIASQVE VESTRAS SPLENDIDISSIMAS Deus ter opt. max. quam diutissime. Ita voveo

VR. VR. PER. ILLUSTR. EXCELL.

bol:ib

humillimus Cliens

J. F. LUDOVICI

JACOBI FRIDERICI LUDOVICI,  
JURIUM LICENTIATI,

P R O G R A M M A

SCOPO<sup>ET</sup> UTILITATE  
DISPUTATIONUM  
ACADEMICARUM,  
Jurisprudentiæ intuitu præcipue,  
IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
occasione

Collegii cuiusdam Juris Feudalis Di-  
sputatorii publici  
propositum.

---

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI ACAD. TYPOGR.





Unt ad eum scopum institutæ in Rebuspublicis scholæ, & præcipuè quidem superiores, quas Academias appellamus, ut in iisdem animi hominum ita formentur, quò exinde status publicus futurò tempore sibi emolumentum aliquod promittere certò possit. Hoc enim est, quod dicitur, scholas non solum Reipublicæ,

sed Ecclesiæ quoque esse seminaria. Quemadmodum autem anima humana duabus præcipuè pollet facultatibus, voluntate & intellectu, quarum utraque & peculiarem & assiduam curam exigit: ita quoque in Academiis diversa institui solent exercitorum genera, quibus & huic, & illi probè consuli possit. Latus sese hic nobis aperiret dicendi campus, si omnes quatuor Facultates, quæ in Academiis nostris florent, percurrere, & simul, cuius cura, intellectus an voluntatis? singulis præcipuè incumbat, ex meritò disquirere vellemus. Sed hoc a scopo nostro paulò alienum esset. Ergo intra cancellos nos continebimus, & quidnam intuitu studii Juridici hac parte observandum, paucis saltem delibabimus. Sane nemō quidem negare poterit, Legum Doctores præter intellectus etiam voluntatis emendationem quam maxime intendere, quia scilicet voluntatem Legislatoris subditis

perspicuè explicant, eosdemque ut actiones suas ad hanc ipsam rite componant, sedulo hortantur; Verum enim verò neque hoc diffitendum est, primariam Jurisprudentiae operam in eo positam esse, ut mentem Legislatoris dubiam explicet, atque hoc demum facto in applicatione ostendat, quid faciendum sit, quidve omittendum. Et huc collimat Ulpianus, (a) quando jurisprudentiam divinarum atque humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam, id est, ex mente *Per illas iris Dn. de Rhetz* (b) *habitus interpretandi & explicandi*, esse contendit. Quodsi vero *habitus interpretandi & applicandi* requiritur in eo, qui JCti nomen affectat; sine dubio ejusmodi exercitiis animus ante omnia est præparandus, quæ ad *habitum* *talem comparandum* non leve momentum afferunt. Neque enim invitis & ignorantibus eruditio, quæ nihil est nisi *habitus quidam*, infunditur, sed indefisis demùm studiis comparari potest. Exercitia ergò requiri mus. Sed quænam sunt talia? an Collegia lectoria, an examinatoria, aut quænam demum? Absit autem, ut vel lectoriis vel examinatoriis collegiis debitam laudem de trahamus, cùm, quod extrà omne dubium positum esse censemus, ridiculè ageret, qui ad examen disciplinæ alicuius se offerreret, cuius tamen principia nondum hau sisset, atque adeò collegia lectoria perquām sint necessaria, quemadmodum deinde examinatoria ad repetitio nem & attentionem excitandam non parùm conferunt. Interim tamen nec hoc dissimulare possumus, quod nempe Collegia disputatoria habitui interpretandi addiscendo magisque perficiendo quām maximè conducant. Disputatio enim nihil aliud est, quām modestum examen, nec non occasio repetendi, meditandi, mentemque suam clarè explicandi. Scio equidem, ut alias, ita quoque cir-

ca u-

---

(a) l. 10. §. 2. ff. de J. & J. (b) Meditat. ad Inst. dissert. 2. §. 17. in fin.

ca usum disputationum inter se dissentire eruditos. Alii enim omnia disputationibus tribuunt, alii autem, ut videtur, eas nec aliquem usum habere afferunt, inter quos, ni fallor, ipse Lutherus fuit, veritatem disputando amitti dicens. Ast facilius quidem hanc dissensionem conciliari posse putamus, quam interdum leges in jure Romano sibi contradicentes, quæ in illud ob Compilatorum multitudinem (non dicam enim: incuriam) irrepserunt. Nec enim Lutherus, nec alii Viri Eruditi, cum ipso de disputationibus non adeò magnificè sentientes, omnem isdem usum prorsus denegant, sed maximum solummodo abusum rejiciunt, qui plurimas cathedras inquinavit. Scilicet disputatio in se considerata, nihil aliud est, quam modus, veritatem per amicum colloquium ulterius investigandi, atque simul ea, quæ apparenter obstarre videbantur, modeste removendi. Sed quemadmodum in omnibus fere rebus perversi hominum mores abrogatò verò usu aliud quid substituerunt, quod meram depravationem & corruptionem sapit: ita quoque Disputationes sensim ad nutriendam ambitionem vanamque gloriam captandam à plurimis (nec enim de omnibus loquor) adhibitæ fuerunt. Inde natum est proverbium: *Disputationes ad instar bellorum esse,* (c) quo supposito eadem in disputationibus quoque adhibenda esse putarunt, quæ in bellis adversus vim hostium ingruentem in subsidium vocari solent. Videas hinc clamores, vociferationes, risus, injuriosas imputationes, sophismata, verborum captationes, & quæ sunt ejusdem generis alia, imò nonnunquam præter verba etiam verbæ. Apprimè hic locum habet vulgatum illud: in bellis resonant. -- Quis verò non damnaret ejusmodi duella in-

A 3

cruen-

---

(c) v. Exc. Dn. Thomas. philos. ration. part. 2. c. 5. §. II.

cruenta? quis non assereret, veritatem amitti per ejusmodi Disputationes, quæ nec veritatis investigationem pro scopo habent, sed prostitutionem alterius plerumque intendunt. Aliter autem se res habet, si usum disputationum non ex vitiis personarum disputantium, sed ex ipsa rei indole æstimes. Præter ea enim, quæ jam ante addueta, judicium quoque quam maximè acuitur & opponendo & respondendō. Judicium autem, ut alibi (d) diximus, est anima jureconsulti. In quantum itaque judicium augetur, in tantum quoque prudentiæ juris aliquid accedit. Qui enim speciosas opponentis objectiones juxta methodum bonæ disputationis ritè diluere novit: is quoque in aliis deinde negotiis, in foro & extra illud, sententiam suam, modò justitiam propitiam habeat, contra quasvis adversariorum fraudulentas interpretationes tueri valebit. Quia occasione & hoc adjiciemus, usum disputationum non ad solas Academias earumque cathedras & vitam theoreticam restringendum esse, sed eundem in quolibet vitæ genere sese exercerere. Judex dubiam litigantium causam arbitriō suō nunquam dirimet, nisi rationes (id est, medios terminos seu media concludendi) partium ponderare & pro re nata resolvere atque rejicere edoctus est. Eò minus ergo ad patrocinium aliis præstandum, vel ad causam quoque propriam defendendam aliquis aptus erit, qui fundamenta disputandi ignorat. Neque enim inepte dixeris, Actorem & reum agendō, excipiendō, re- & duplicando officiō Opponentis & Respondentis, diverso licet respectu, defungi. Unde ipse Libellus per modum syllogismi concipiendus, & Producta partium non sine ratione sub nomine der Disputir-Gesæze stylo Saxonorum & confinium judiciorum veniunt,

---

(d) in disp. inaug. de præsumt. bonitatis §. 1. seqq.

niunt. Tandem nec extra forum usus disputandi cessat. Sive enim in conversatione quotidiana aliquid per modum discursus proferas, sive scriptis publicis sententiam tuam orbi erudito communices: certè utrobius firmâ ratione opus erit, non ad stabiliendam solummodo thesin tuam, sed ad removendas quoque aliorum objectiones. Neque tamen putas, nos in ea opinione persistere, ac si discursus & scripta meritis syllogismis in Barbara, Celaurent, Darapti & Felapton conceptis exornari (aut potius deformari) debeant. Abhorret seculum eruditum ab ejusmodi -- (pædantismo ferè dixisse.) Hoc ergò tantum volumus, asserta & rationes ita comparatas esse debere, ut, si forsan in formam syllogismi redigerentur, quilibet statim connexionem terminorum primo intuitu sequi valeat. Et è contrario: si forsan adversarii assertiones hoc fundamento destituantur, ut tunc statim scopæ ejusmodi dissolutæ ostendi possint. Quæcum à nemine in dubium juste vocari valeant, eademque secum penderint Juvenes illustri prosapia, generis nobilitate, propriarumque virtutum decore maximè conspicui,

DN. JOHANNES FRIDERICUS BACHOVIVS,

Liber Baro ab ECHT,

DN. GEORGIUS CAROLUS PFLUGK,

Eques Misnicus,

DN. HENRICUS WILHELMVS STEUBE,

Eques Mansfeldensis,

DN. HENRICUS WITTE, Regiomonto-Borussus,

ad excolendum eò magis judicium doctrinam juris feudalis publicis disputationib⁹ sub meo præsidio evolvere & repetere unanimiter constituerunt, cuius exercitii initium proximis hisce diebus Deo ānuente sunt facturi. Quod laudabile

dabile ipsorum institutum uti non possumus non meritis  
encomiis extollere : ita ut MOECENATES, PATRONI, FAU-  
TORES & COMMILITONES nostri actus disputatorios præ-  
sentia sua illustriores & frequentiores reddere hanc de-  
dignentur , est , quod ea, qua decet , animi submissione &  
observantia devote & enixe rogamus . P.P. Halæ Mag-  
deburgicæ d. XX. Martii MDCCI.



COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO I.  
sistens theses  
De  
**PRÆCOGNITIS**  
**JURIS FEUDALIS,**

quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

*FRIDERICO WILHELMO*  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

Eruditorum examini submittit

JOHANNES FRIDERICUS BACHOVILIS

Liber Baro ab ECHT,

P R Ä S I D E

JACOBO FRIDER. LUDOVICI,

Jurium Licentiato,

Ad diem XXII. Martii An. MDCCI. horis locoq; consvetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.

1. Okt. 1921  
wiederholte  
SCHÖNAU  
ERGÄNZT  
VON  
FRIEDRICH  
WILHELM  
HOLD  
in  
der  
BIBLIOTHEK  
der  
UNIVERSITÄT  
DRESDEN  
auf  
Bestellung  
des  
Vereins  
für  
deutsche  
Litteratur  
in  
Dresden  
unter  
Leitung  
des  
Prof.  
HOLD  
als  
erster  
Band  
der  
Schrift  
der  
Deutschen  
Litteratur  
in  
Dresden



### Th. I.

**D**Rudentia juris feudalis est habitus leges feudales rite interpretandi & ad facta controversia applicandi.

### Th. II.

Feuda autem & Leges feudales quō tempore & apud quosnam populos primum cœperint, valde dubium est. Unde prima fere apud DD. quæstio: *An feuda juri Gentium adscribenda?*

### Th. III.

Affirmativa facile patet, modo observes, per *jus Gentium* hīc non intelligi speciem juris peculiarem juri naturæ contradistinctam, qualis non datur; sed *mores Gentium*, juri tamen naturæ non contrarios, sed eodem permisso. Neque etiam *omnium Gentium*, sed *quarundam* solummodo.

### Th. IV.

Si quæris, quānam autem ex illis Gentibus *omnium* primò feuda constituerit? ignorantiam nostram ingenuè profitemur. Tacent enim Historici, & nos omnisciē caremus.

### Th. V.

Interim à Romanorum clientibus, veteranis & limitaneis militibus, item à Gallorum Solduriis feudorum originem derivare velle, nulla plane probabilitate nititur. v. Ant. Dadinus Alteserra de orig. & stat. feud. pro moribus Gallie cap. i. quem Dn. Schilter. codici jur. feud. Alemann. feud. adjecit.

A 2

### Th. 6.

Apud Germanos autem (sed non solos, Exc. Dn. Thomasius *de feud. oblat. c. 1. §. 1.*) plurima jam ab antiquo feuda fuisse, in dubium justè vocari nequit. Imò omnia ferè feudalem naturam habuisse, non sine probabilitate afferi potest. Testatur hoc inter alia divisio juris Germanici utriusq; tām Saxonici, quam Franconici, (quod Sveicum nonnullis, Alemannicum autem Dn. Schilte-ro dicitur) in Land-Recht & Lehn-Recht / quorum prius in contractibus, posterius autem in dominii translatione usum habuisse, vel si mavis, prius de titulis, posterius de modis transferendi dominium disposuisse videtur. Ex quo descendere putamus, quod adhuc hodie in Provinciis præcipue Saxonis & Saxonico jure utentibus bonorum allodialium traditio nonnisi judicialiter fieri soleat, quod vocant *resignationem judiciale*m, der Verkäuffer lässt die Lehn gerichtlich auff / der Käuffer hingegen nimmet die Sache in Lehn und würden. Imo in urbe nostra Hallensi jus civitatis, das Bürgerrecht / permodum investituræ novis civibus confertur per porrectionem pillei, qui modulus quoque in rebus salinariis est usitatus.

Th. VII.

Accedunt testimonia Historicorum, quos magnō numerō allegat Struvius *S. I. F. Cap. 1. aphor. 3.* Omnia eo collimant: quod non aliarum nationum, sed soli rerum Germanicarum Scriptores, feudorum mentionem faciant, & quod etiam hodiē feuda ferè in sola Germania ac terris olim à Germanis e. g. Gothis, Vandals, Francis, Burgundionibus, Anglis, Saxonibus, &c. occupatis sint recepta, in aliis verò (dicerem Lubentius: in plurimis aliis, ne obstent feuda Japonensium) provinciis, ubi sedes Germani non habuere, usus feudorum non vigeat.

Quō

Quō sensu admitti potest, quod dicit Hugo Grotius *de Jur. bell. & pac. l. i. c. 3. §. 23.* Contractum feudalem Germanicarum Gentium esse proprium.

## Th. VIII.

Neque ergò mirum, quod Longobardi, ( Conringio in *tr. de orig. jur. Germ.* Langobardi, ) origine Germani, postquam mortuo Justiniano Italiam ingressi erant, eosdem mores servaverint. Quemadmodum autem omnia veterum Germanorum jura erant non scripta, teste Tacitō: Ita quoque eadem est indeles juris feudalis Longobardici, quod sensim invaluit & tacitō populi consensu vim obligandi accepit. De Longobardis ita *Güntherus lib. 2.*

*Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,*

*Provida consilio, Legum jurisque perita.*

Conring. *d. tr. c. 23.*

## Th. IX.

Ne tamen lapsu temporum planè periret hoc jus, ex postfacto literis est consignatum. Sed à quoniam? Dissentient Doctores, vel potius nesciunt, & nos cum illis. Communiter Consules Mediolanenses, Gerhardus Nige, ab aliis Cepegistus, & iterum ab aliis Capagistus dictus, & Obertus de Orto pro compilatoribus venditantur. Et afferuntur quidem rationes nonnullæ, quæ hujus assertionis veritatem fraudere videntur. Sed adsunt quoque rationes in contrarium, quæ dubitationem injiciunt, v. Dn. Mauritius *in posit. jur. feud. contr. decad. 1. pos. 8.* Optimum est, quod nihil intersit, exactam hujus rei cognitionem habere.

## Th. X.

Quemadmodum verò in causis civilibus hoc peciale (an bonum sit, non dicimus,) habet Germania nostra, ut peregrino jure utatur, Romano scilicet; Ita quoque eadem fata experta est quoad causas feudales.

A 3

Scili-


Scilicet jus Longobardicum in Italia natum, adeoque exoticum, in Academias & dehinc in fora Germaniae est introductum, quod seculô XV. occasione translatarum ex Italia in Germaniam Academiarum factum esse ostendit Conringius *de orig. jur. German.* cap. 32. Illustr. Dn. Strykius *Ex. Jur. Feud. C. 1. qu. 15.*

## Th. XI.

Sed nova crux adest. Disquiritur enim, an receptio publica Imperii Lege factâ, an saltem tacentibus & conniventibus Imperatoribus & Principibus Imperii? Si Goldastum consulis, expressa approbatio & receptio affirmanda. Ita enim inquit apud Struvium *in observ. feudal. p. m. 6.* Die Lehn-Rechte seynd gewesen ungeschriebene Gebräuche wie die Land-Rechte bey den uhralten Teutschten / (hactenus bene) und ist erstlich ein Systema derselben gemacht worden von Gerhardo Nigro & Oberto de Orto, beyden Burgermeistern zu Mehlau und Kayser Friedrichen dem ersten präsentirt/ welcher es denn mit Rath und Consens der Fürsten und Stände des Reichs auff dem Reichstag zu Rongall umb das Jahr 1230. überlesen/ revidiret/ approbiret/ & plenissimum Imperialium Constitutionum robur accommodiret. Sed suspectum alias quoque est testimonium Goldasti, uti Eruditis notum, & hic quoque in ipsa Chronologia statim errorem latere jam alii notarunt. v. Struv. loc. cit.

## Th. XII.

Alii expressam receptionem ex eo deducunt, quod Antonius Mericutius (aliis Meriputius) de Prato veteri librum juris feudalis Longobardici (quem in *Codice juris Feud. Alemannici* communicavit demum Dn. Schilter, & verum Autoris nomen, Minuccius, esse ostendit) Imperatori Sigismundo A. 1428. exhibuerit, ejusque confirmatione



firmationem impetraverit. Sed hunc errorem jam reje-  
cit Illustr. Dn. Strykius *Ex. jur. feud. c. i. qv. 16.*

### Th. XIII..

Nihil ergò supereft, quām ut cum **Conringio loc.**  
**cit. cap. 33. in fin.** statuamus, nullo Germaniæ publico de-  
creto, vel in communi Cameræ judicio, vel in aliis fo-  
ris, feudalia Saxonie, Sveviæ, aliarumque regionum in-  
stituta vetera cum hisce Longobardicis diferte permu-  
tata esse. Itaque ex sola quadam consuetudine apud nos  
vim illorum hactenus obtinere. Licet ex postfacto con-  
firmationem implicitam accessisse non negemus, v. Per-  
Illustr. Dn. de Rhetz *Comment. jur. feud. p. 10. seqq.* Illustr.  
Dn. Stryk. *c. i. qv. 17.*

### Th. XIV.

Habent proinde vim Legum in Germania hodie  
consuetudines Longobardicæ, sed non aliam, quam Le-  
ges Romanæ, id est, constituunt saltem jus subsidiarium,  
deficientibus constitutionibus & consuetudinibus Pro-  
vinciarum specialibus. Quales in Pomerania habentur  
sub titulo Conclusionum Pomeranicarum.

### Th. XV.

Ante omnia tamen in decisione controversiarum  
ad tenorem literarum investituræ est respiciendum. Ex  
quibus priores derogant posterioribus, nisi in his ab illis  
expresse recessum fuerit.

### Th. XVI.

Ordinem si in jure feudali (quatenus scilicet illud in  
corpore juris exhibetur,) quæras, nullum invenies, &  
ideo ne talem quidem, qualis est in Legibus Romanis,  
licet & hæ misere cohæreant.

### Th. XVII.

Et quod pessimum est, plurimæ in eo reperiuntur  
dissen-

dissensiones sive antinomiæ, quārum exempla passim recensentur. Quamvis verò has non omnes admittant in jure Romano; in jure tamen feudali tam apertæ in uno eodemque interdum titulo reperiuntur, ut nemo hactenus, quod sciamus, de iis dubitare ausus fuerit. Si ergò judicium de compilatore desideras, hoc cape: Fuit homo sine judicio, animal scribax quidem, sed fundamentis genuinæ scientiæ destitutum. Imò ne latinam linguam quidem calluit. Unde tota compilatio meritis barbarismis scatet.

### TH. XVIII.

Sed quisnam ex diversis textibus sibi invicem contradicentibus alteri præferendus erit? Hic labor, hoc opus est. Suppeditant nonnulli regulam, quod quoties antinomia in eodem textu occurrit, opinio reprobata ultimo loco plerumque poni soleat. Sed si hoc plerumque saltem, non semper fit, nova iterum regula opus est, ex qua prior explicari possit. Unde optimum est remedium Illustris Dn. Strykii c. l. qu. 33. eò semper respiciendum esse, quæ sententia ceteris juris feudalis textibus, aut textu deficiente, rationi juris feudalis sit convenientior. Ex quo Leguleji observare possunt, in jure feudali quoque philosophiam rationalem & doctrinam de interpretatione utramque facere paginam. Clara sane verba sibi invicem contradictia hic rem neutiquam conficiunt.

### TH. XIX.

Jus feudale communiter in duos libros dividitur, à Cujacio autem in quinque. Tertius ipsius liber 2. F. 23. & quartus 2. F. 25. incipit, uti Dionysius Gothofredus in notis suis exactè observavit. Notandum tamen non omnia horum librorum capitula esse ejusdem valoris. Quæ enim post tit. 58. lib. 2. juxta edit. vulg. seqvuntur, Cujacius fal-

us saltem ex Ardizone & Alvaroto post receptionem juris feudalis restituit, prout itidem observat Gothofredus. Unde vocantur Capitula extraordinaria.

### Th. XX.

Capitulis hisce extraordinariis omnem vim legalem denegamus cum Dn. Mauritio *decad. 1. posit. 10.* Et quidem ex hac ratione, quia autoritas juris feudalis ex receptione dependet. Receptio autem facta est tempore translatarum ex Italia in Germaniam Academiarum & tempore Glossatorum. Ergo quæcunque capitula tunc non fuerunt cognita, ea neque fuerunt recepta. At verò capitula extraordinaria omnes Glossatores ignorarunt, unde in Corpore glossato non reperiuntur. Quare & huc pertinet regula alias adhiberi solita: *Quos textus non agnoscit glossa, eos nec agnoscit forum.* Exempla alia habentur in Corpore juris Romani, ubi præcipue in Codice Cujacius, Contius & Antonius Augustinus textus, qui deficerre videbantur, ex libris Basilicorum &c. restituerunt, e.g. l. 2. C. de Aleat. l. 4. C. de in jus voc. l. 12. 13. 14. 15. 16. C. de baret. qui tamen autoritate in foro destituuntur.

### Th. XXI.

Ceterūm quamvis jus feudale non ex solis Longobardorum moribus constet, sed nonnulla etiam ex constitutionibus Imperatorum (quò pertinet famosa Constitutio Friderici, 2. F. 27. §. 8. de furibus laqueo suspendendis) imò & Pontificum decretis admixta habeat, v. i. F. 6. à posteriori tamen parte adhuc simpliciter jus Longobardicum dici potest.

### Th. XXII.

Deficiente textu & ratione juris feudalis, ad jus civile recurri & ex eadem decisio desumi potest. Hinc non minus in bonis feudalibus immobilibus minorum alienandis

B

decre-

decretum Magistratus requiritur, quam in allodialibus. Jus feudale enim in relatione ad jus civile est instar exceptionis à regula, quæ hanc firmat in casibus non exceptis, id est, ubi contrarium expresse non est dispositum. Hoc tamen non diffitendum, pleraque, quæ ex jure Rom. ad supplendum jus feudale adduci solent, juris naturalis esse.

## Th. XXIII.

E contrario autem jus feudale in causis civilibus locum non habet, nisi in specie receptum fuerit, v. g. in **jure** **protimiseos** intra annum & diem exercendo etiam in allodialibus, v. g. à proximo cognato, vicino, socio, &c. Exceptio enim ex Regula quidem supplementum capit, sed Regula non ex eo, quod exceptionis vicem sustinet.

## Th. XXIV.

Sed de jure Germanico feudali veteri quæritur, an non & illud adhuc hodie ad decisionem causarum feudalium allegari possit? Putamus, quod sic, præcipue eō casu, ubi ostendi potest, consuetudines Longobardorum vel planè omisisse casum aliquem, vel non quadrare ad mores Germanorum. conf. Illustr. Strykius *Ex. jur. feud. C. I. qu. 18.* Unde multa liquidius sæpe explicari posse putamus circa feuda nostra, si aliquid saltem temporis juri feudali Germanico investigando insumeretur.

## Th. XXV.

In jure feudali & declarativa, & restrictiva & extensiva interpretatio locum invenit. Verba enim legum, qualescumque sint, sine mente nil valent. Mens autem fine hisce interpretationis speciebus investigari nequit. v. Struv. *C. I. aphor. 16.*

## Th. XXVI.

Illud non omissendum, quo referri debeat jus feudale, an ad publicum, an ad privatum jus, an ad neutrum & pe-

& peculiaris classis eidem sit adsignanda? Distinguendum esse censemus inter feuda mediata & immediata. Jus feudale quatenus de illis agit, ad privatum; quatenus de his, ad jus publicum est referendum. Fluit hoc ex fundamento divisionis juris publici & privati, quia in feudis mediatis privata, in immediatis publica utilitas directo intenditur.

### Th. XXVII.

De eo denique hīc quæritur: quo ordine jus feudale addiscendum, utrum ante jus civile, an post illud, an simul cum eo? Optima methodus esse videtur, ut quia interdum etiam in jure feudali principia juris Romani applicanda, *juxta tb. 22. primo vel exacta, vel aliqua ad minimum juris civilis notitia hauriatur & deinde ad jus feudale, denique vero ad jus publicum progressus fiat.* Ergō eum, qui institutiones juris sibi familiares reddit, juris feudalis Auditorem cum fructu jam esse posse non dubitamus. Non quidem ex eo capite, ac si institutiones sint totius legitimæ scientiæ prima elementa, quod nobis non persvadet Tribonianus assertio in §. 4. . *proœm.*

*Inſt;* sed quia in Collegiis institutionalibus defectus

institutionum à Docentibus communiter suppleris solent.





COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO II.  
sistens theses  
De  
**DEFINITIONE**  
ET  
**DIVISIONE FEUDI,**

quas  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.


*FRIDERICO WILHELMO*  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.


IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE  
**JACOBO FRIDER. LUDOVICI,**  
Jurium Licentiato,  
Eruditorum examini submittit  
**GEORGIUS CAROLUS PFLUGK,**  
Eques Misnicus.

Ad diem XV. April. An. MDCCI. horis locoq; consuetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.





### TH. I.

**V**squam ferè major sese exerit DD. curiositas, quām in jure feudali in evolvendis vocabum definitionibus nominalibus. Quod tamen majorem utilitatem vix habet, quām si originem vocis: *Mensa*, aliquis eruere anxie sollicitus esset. Verba valent ex pacto, pacta autem sunt arbitraria.

### TH. 2.

Quod ipsum *feudi* vocabulum concernit, nonnulli illud à fūden (alere) & thun: (quemadmodum stylō antiquo dicitur reden thun/liegen thun &c.) Alij à vocabulo Feida, id est hostilitate, unde Germanorum *dissidationes*, fehde / Besehdung: Alii à fœdere inter dominum & vasallum inito: alii à *Fe* & *Ode*: alii à *fide*, alii aliunde derivant. Struvius S.I. F.c. 2. apb. 1.

### TH. 3.

Elige jam, cui dicas, tu mihi sola places. Omnia in conjecturis consistunt. Ex quibus tamen maximam probabilitatem habere videtur illa, quæ à *fide* sive *feude* feudum derivat. Fides enim est pars essentialis feudi, quæ illud ab aliis bonorum generibus distingvit. Nec tamen absurdum esset, si aliquis à *feidis* originem vocabuli repetere vellet.

### TH. 4.

Circa definitionem realem novæ adfunt tricæ. Sumitur enim feudum tripliciter (1) pro *ipsa re*, (2) pro

A 2

con-

*contractu feudali & (3) pro jure*, quod vasallus in feudali re consequitur. Unde disquirunt, quisnam significatus in *dubio* præsumatur & propterea tanquam magis famosus in definitione feudi supponi debeat?

## TH. 5.

Alii aliter. Nos in *dubio* nullum significatum specificè *præsumi*, sed totam rem ex substrata materia, siue ex antecedentibus & consequentibus dijudicandam esse putamus. Omnes enim illi tres significatus sunt æquè famosi & æquè proprii. Et ergò interdum feudum quatenus rem, interdum quatenus contractum, interdum quatenus jus vasalli denotat, est definendum & supponendum.

## TH. 6.

Si definitur, quatenus jus vasalli denotat, de genere ejusdem inter se controvertunt DD. Alii describunt, quod sit *Uſusfructus quidam*, nisi textu 2. F. 23. in fin. & imitantes forte Tribonianum, qui Legatum describit §. 1. 3. de Legat. quod sit *donatio quædam*. Et fatendum quidem est, convenire in multis uſumfructum & jus vasalli; sed tamen inter se quoque differunt in multis aliis. Quis verò ideo, quia homo & avis in eo conveniunt, quod habent duos pedes, duos oculos, &c. hominem vellet definire, quod sit *avis quædam*.

## TH. 7.

Ergò vel rejicienda erit definitio illius textus 2. F. 23. prout definitio Triboniana Legati itidem optimo jure rejicitur. Legislatoris potestas enim ad definitiones præscribendas se non extendit, quia alias ex eodem textu feudi contractus definiendus esset *benevolia actio*, *tribuens gaudium capientibus*, *capiensque tribuendo*: *in id, quod facit, prona& sponte sua parata*; Vel si retineri debet, dicendum erit, in dicto textu non intelligi uſum-

## DISPUTATIO II.

5

usumfructum in sensu juris Romani, sed potius juris Germanici, quem cum Dominio utili convenire evincit Dn. Schilter *Exerc. 17. ad ff. th. 3. seqq.* Longobardi enim origine fuerunt Germani, adeoque probabile est, eos in vocabulorum applicatione ad mores Germanicos respexisse.

### TH. 8.

Alii generis loco ponunt vocabulum *Domini utilis*, alii denique *juris* simpliciter, quo etiam inclinat Dn. Titius in dem *Deutschen Lehn-Recht c. 4. §. 9.* Sed hic litem in terminis esse putamus. Sive enim illud jus dominium utile, sive jus simpliciter appelleatur, perinde est. Interim quamvis vox *Dominii utilis* non reperitur in jure Longobardico, sed ad imitationem ICtorum Romanorum introducta sit; non tamen ea denominatio à textibus juris Longobardici abhorret, v. 2. F. 8. ibi: *rei autem vasallus banc habet potestatem, ut tanquam Dominus possit à quolibet possidente sibi quasi vindicare, ubi voces tanquam & quasi dominium omne Vasallo ademtum esse non denotant, sed restrictionem & immutationem in aliquibus solùm partibus innuunt*, v. Struv. c. 2. aph. 3. n. 4.

### TH. 9.

Feudum ergo, quatenus pro jure Vasalli accipitur, describendum esse putamus, quod sit *Dominium utile sub lege mutuae fidelitatis alicui concessum*. Quam definitionem ideo accuratam esse censemus, quia cum suo definito reciprocari potest, & vice versa sequentem in modum: *Quicunque rem aliquam jure feudi possidet, ille Dominium utile hujus rei habet & ejus intuitu ad fidelitatem est obligatus: & contra: quicunque Dominium utile alicujus rei habet & ejus intuitu*

A 3 ad fi-

ad fidelitatem est obligatus, ille hanc rem jure feudi possidet. Conf. Joh. Helvici Sinoldi dicti von Schüß *Collegium Feudale c. 2. n. 6.*

## TH. 10.

Ex quo simul consequitur, feudum planè non esse, si plena in Vasallum transferatur proprietas, salvò licet jure dominicō quoad fidelitatem, servitia, &c. contra Schraderum, Rosenthalum, Surdum aliosque cum quibus facit Antonius *Disp. feud. 1. th. 2. lit. c.* à quo jam in adjectis notis recessit Exc. Dn. Joh. Sam. Strykius, deficit enim alterum ex essentialibus, id est, possessio plus habet, quam Vasallo competit.

## TH. 11.

Nec est feudum, si alicui res cum pacto antichre-  
tico *oppignoretur*, ut propterea vicissim oppignoranti  
fidelitatem præsteret. Jus pignoris enim & jus Dominii  
inter se sunt distinctissima.

## TH. 12.

Nec est feudum, (sed jus affine, ut præcedentia)  
si alicui *servitus* sub lege fidelitatis constituatur. Jus  
servitutis enim & jus Dominii iterum inter se sunt di-  
stinctissima. Harum quæstionum utilitas in successi-  
one, ammissione, aliisque casibus maxima sese exerit.

## TH. 13.

Feudum si pro contractu accipitur, definiendum;  
quod sit *contractus de utili Dominio rei alicujus sub lege fi-*  
*delitatis in vasallum transferendo.* Sed qualis contractus,  
an realis, an literalis, an verbalis, an consensualis? imò  
nullus. Jus feudale enim istas Romanorum divisio-  
nes ignorat. Quamvis ergò Consensus in eo utram-  
que paginam faciat, & adeo consensualis dici eatenus  
possit; hoc tamen non fit in sensu juris Romani & in  
oppositione ad recensitas illas reliquas species.

## TH. 14

## TH. 14.

Si denique feudum pro ipsa re accipitur, definitum, quod sit *res, in qua Vasallo dominium utile sub lege fidelitatis concessum.*

## TH. 15.

Quæritur, quidnam in dubio præsumendum, an scilicet res aliqua sit allodialis, an feudalis? Resp. Cum ab initio mundi & primæ occupationis omnia, vel certè plurima allodialia fuerint, & mutatio in facto consistens non præsumatur, certè is, qui feudalem qualitatem prætendit, assertionem suam probare tenebitur. Fundat se etenim in exceptione.

## TH. 16.

Prima feudi divisio est in *proprium & improprium*, quorum illud dicitur, quod naturalia salva habet, hoc verò, ubi ex naturalibus vel nonnulla, vel omnia sunt mutata.

## TH. 17.

Feudi proprii iterum sunt variæ species, quæ suo tamen modo etiam feudi improprii species fieri possunt. Prima divisio est in *feudum vetus & novum*. Subdivisionem in *feudum antiquum & paternum* non agnoscimus, quia nullum effectum habet, v. 2. F. 50.

## TH. 18.

Feudum novum etiam jure antiqui concedi potest, nach Arth und Eigenschaft eines Altväterlichen Stamm Lehns/ quo ipso agnati primi acquirentis jus succedendi in tali feudo obtinent. Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. 3. qv. 16. seqq.

## TH. 19.

Non autem è contrario *feudum antiquum jure novi*, nach Arth und Eigenschaft eines neuen Lehns/ conce-

concedi potest, quia per ejusmodi concessionem agnatis vasalli jus succedendi ex prima investitura quæsum adimeretur, invita æquitate.

TH. 20.

Quid si filius à paterna hereditate abstineat, & consensu Agnatorum de feudo noviter investiatur? quæritur, an Agnati jus succedendi amittant & feudum pro novo reputari debeat? Negamus, quia in dubio nemo juri suo renunciasse censetur. *In dubio*, inquam, id est, quamdiu negotium aliam quoque interpretationem rationabilem recipit, qualis hic datur, quia Agnati per consensum suum solummodo *præsente* successione, quæ statim ad eos devoluta fuisset, sese abdicaverunt. Dissentunt Isernia, Rosenthal & Struvius *c. 3. apb. 2. n. 5.* unde ad tollendas lites melius est, si addant Agnati clausulam consuetam: *Jedoch der gesammten Hand ohne schaden.*

TH. 21.

In dubio nec antiquum, nec novum feudum præsumitur, quia juxta *tb. 15.* natura feudalis planè non præsumi solet. Et utrumque æquè in facto consistit. Illustr. Dn. Stryk. *c. 3. qu. 22.*

TH. 22.

Circa divisionem feudi in *nobile* & *ignobile* controvèrtitur: an in dubio is, qui feudum nobile accepit, etiam nobilitatem personæ consequatur? Negativa nobis præsertim ex praxi hodierna, ubi speciale diploma, der Adelbrieff/requiritur, verior videtur. Constat enim nonnullos feuda ejusmodi possedisse, qui tamen propterea nobilitatem non sunt consecuti. Et hinc quia nulla est necessaria connexio inter realem & personalem dignitatem, altera ex altera inferri nequit.

Dissent.

Dissent. Dn. Mauritius *dec. 2. pos. 2. ad jus Longobar-*  
*dicum provocans.*

## TH. 23.

Idem de Regalibus feudis dicendum. Exceptis tamen feudis Ecclesiasticis, quæ dignitatem personalem annexam habent. Unde qui e.g. in Archiepiscopum Moguntinum elitur, statim quoq; est Elector Imperii, etiamsi nondum confirmatus, vel investitus fuerit, Perilluстр. Dn. de Rhetz *Instit. jur. publ. l. i. Tit. 4. §. 10.* & plurimi apud Schwederum *introd. in jus publ. part. spec. sect. l. c. 2. § 9.*

## TH. 24.

Feuda quædam regalia in Germania dividi posse, satis testantur Saxonia, Anhaltum & olim quoque Pomerania. Regulam tamen universalem exinde construere non audemus.

## TH. 25.

Ex brocardico: Krumstab schleusst niemand aus/ inferunt nonnulli, quod in feudo ecclesiastico (ab abje~~c~~to tali) etiam fœminæ succedant; sed hoc universaliter verum non est, teste experientia in feudis, quæ ab Episcopatibus Germaniæ dependent. Particulariter tamen admittimus illud brocardicum, vide de feudis Fuldensibus Wehneri *Thesaur. pract. voc. Fuldisch Lehn.*

## TH. 26.

Divisio feudi in *ligium* & *non ligium* nullâ absurditate laborat adeoque non immerito retinetur. Quamvis enim & in posteriori *liga* sive vinculum adsit; non tamen hoc ita arctum est, uti quidem in priori.

## TH. 27.

Feudi extra curtem, id est, territorium domini directi

B

recti siti exempla hic Halæ occurunt, dum nonnullæ Hubæ agrorum a Comite Schwartzburgico recognoscuntur.

## TH. 28.

Divisio tamen feudi in illud, quod est *in curte* & *extra curtem* nullum effectum in decidendis controversiis præbet, præcipue ubi moribus nostris Pares curiæ in judicio feudali non adhibentur. Adeoque meré theoretica est.

## TH. 29.

Naturalia feudorum quemadmodum à contrahentibus infinitis modis variari possunt per pacta adjecta: ita quoque infinita feudorum impropriorum sunt species, quippe quæ ex hac variatione oriuntur.

## TH. 30.

Feudum regulariter proficiscitur ex *benevolentia Domini*. Unde ad feuda impropria pertinent feuda oblatæ, juri Longobardico incognita, non æquè Germaniæ nostræ, auffgetragene Lehne. De quibus vel pauca, vel nulla reperies apud veteres Feudistas, quibus ultra jura exotica sapere piaculum erat. Nostrò tempore Dn. Hertius & Exc. Dn. Thomasius de iis ex professo egerunt. De feudis Pomeranorum oblatis vide ri potest Mevius *conf. 44.*

## TH. 31.

Ex eadem ratione *feudum emtum* ad impropriorum classem referendum esse censemus. Quamvis enim *officium humanitatis* sit, ut dominus mihi præ alilis feudum vendat; non tamen propterea est *beneficium*. Beneficium siquidem onerosum contradictionem involvit. In textu *i. F. 20.* vel beneficium idem significat, quod feudum: vel autor illius *textūs aperte hal-lucina-*

lucinatus est, qui in formandis distinctis conceptibus nobis adeo nihil præscribere potest.

## TH. 32.

Vassallus regulariter ad servitia obligatur. Ergò feudum *francum* est feudum improprium, in quo etiam fœminæ succedunt, sed non nisi in subsidium. Huc pertinent quoque feuda *censualia*, *quaternata*, *apertura* & *Gastaldia*, in quibus servitia cessant.

## TH. 33.

Servitia regulariter sunt indeterminata. Ergò ubi determinatio adest, v. g. in feudis, quæ vocantur *Sattelfreye Gūther* (Conringio *de orig. jur. Germ.* c. 7. p. 34. *Saalfreye*) *Sattelgūther* & *Seslehn*: item in feudo *guardia* seu *castrensi*: ibi feuda ad impropria referri debent.

## TH. 34.

Huc pertinent quoque feuda, ubi olim ridicula servitia præstabantur, v. g. in Anglia, ubi Vassallus die natali domini singulis annis coram domino facere debuit *unum saltum*, *unum suffletum* & (sit venia verbo) *unum bumbulum*. Alibi vero, ubi alaudam boum curru vectam vincitamque afferre & ramum viridem portare obstrictus fuit, v. Limnæus *de jur. publ. l. 1.c. ii. n.* 97. & ibi alii citati..

## TH. 35.

In feudis regulariter succedunt omnes à primo acquirente descendentes. Unde improprietate laborant Feuda ignobilia, quæ in Pomerania reperiuntur, die *Schulzen*/ *Krug- und Müller Lehn*/ ubi ex filiis possessoris unus tantum, & regulariter primogenitus succedit, ceteris à jure succedendi in perpetuum exclusis, qui pro hominibus propriis reputantur. Qualia feuda præ-

DISPUTATIO II.  
da præcipue in districtu Neosedinensi occurunt.

Th. 36.

Ex hac ratione quoque impropriis accensenda Feuda Sveviæ, ut vulgò traditur, die Schüpflehn/quæ ad nullos heredes transeunt. An autem horum feudorum denominatio inde petenda, weil die Erben gleichsam davon geschüppft werden/ admodum incertum & improbabile est, licet aliqui ita statuant. Melius forte ignorantiam nostram hic profiteri licebit.

Th. 37.

Prætereà quoque soli masculi regulariter succidunt. Unde à proprietate degenerat *feudum fœmininum*, ein Schlaier-oder Kunkel Lehn/ à voce Kunkel/ quæ idem significat ac eine Spindel/ instrumentum fœminis usitatum. Adhuc magis verò degenerat *feudum hereditarium*, ubi præter fœminas etiam heredes testamenti admittuntur. Vocatur alias *feudum*, in quo succeditur *jure Francorum*.

Th. 38.

In feudo hereditario concessio fit pro se & heredibus quibuscumq; in feudo autem ex pacto & providentia pro se & filiis, vel pro se & descendantibus masculis, vel planè nihil adjicitur.

Th. 39.

Sed quid si concessio facta sit pro se & suis heredibus, vel pro se & filiis & heredibus masculis. Hereditarium nonnulli fieri feudum putant. Sed minus recte. Voices enim: *heres, filius, descendens masculus*, in jure feudali synonymicè usurpantur, v. Struv. Cap. 4. aph. 12. Anton. Disp. I. thes. 8. lit. K.

Th. 40.

Nec in feudo hereditario, nec in eo, quod est ex pacto

pacto & providentia, filius feudum ab allodio patris separare potest, sed utrumque vel acceptare, vel repudiare tenetur. Dissentit quoad feudum ex pacto & providentia Gail. lib. i. obs. 128. in fin. sed eum & textu & ratione destitui optimè asserit Illustr. Dn. Stryk. in not. ad Lauterb. de acquir. hered. voc. Feudum patris.

## Th. 41.

Quod si tamen feudum ex pacto & providentia ita explices, ut illud dicatur, de quo non solum pater, sed & filii simul cum eo sunt investiti, quæ sententia est illustr. Dn. Strykii Ex. jur. feud. c. 4. qu. 48. & c. 20. qu. 10. v. Exc. Dn. Joh. Sam. Strykius in not. ad Anton. Disp. i. th. ult. lit. k. tunc filio feudum ab allodio separare omnino licebit. Filius enim feudum hoc casu non per patrem accipit, sed ex manu domini immediate.

## Th. 42.

Feudum regulariter in re corporali consistit eaq; immobili. Unde improprietate laborant feuda *Soldatæ, de camera & cavena*, (quæ ultima à voce: *Raven*/ derivare velle cum Struvio cap. 4. aphor. 18. n. 3. Vasallorum persona indignum videtur. *Rave* enim Germanis est locus, ubi sues saginantur.) Improprium quoque est feudum *in pecunia*, sive *alia re mobili*, vel etiam in re incorporali consistens, quō pertinent jurisdiction, jus venandi ceteraque Regalia per modum feudi sine re corporali concessa.

## Th. 43.

Quamvis verò improprium sit feudum in re incorporali consistens, manet tamen feudum verum. Et quamvis hoc casu conceptum dominii utilis cum conceptu totius objecti coincidere putet Dn. Beyer *posit. jur. feud. C. 5. pos. 20. 21.* eodem tamen modò hic dominium

nium directum fingi posse putamus, prout hoc in feudo in pecunia, consistente concesserat Vir consultissimus *Cap. 3. pos. 101.* Fictio itque tantum operabitur in hoc casu ficto, quantum alias veritas in casu vero. Quod autem Feudum in ejusmodi rebus consistere possit, ex textu 2. *F. 56.* colligitur.

## TH. 44.

In feudo fidelitas regulariter jurato promittitur. Remisso itaque hoc juramento, feudum fit improprium. Ipsa tamen fidelitas vasallitica remitti nequit, eo scilicet respectu, ut res nihilominus naturam feudalem retineat.

## TH. 45.

Eadem improprietas adest, si renovandæ investituræ necessitas vasallo remittatur: si ob feloniam feudum non amittat, sed propter pactum conventum arbitrariè saltem puniatur: si pro lubitu feudum alienare & oppignorare possit, & quæ sunt similia.

## TH. 46.

Improprietas quoque oritur exinde, si omnia quidem naturalia feudorum adsint; sed illis per pactum adhuc aliquid superaddatur, v. g. ut praeter servitia quotannis vel quovis biennio, triennio, &c. certa pecuniæ summa domino exsolvatur. Hoc enim est praeter naturam feudi.

## TH. 47.

Naturalia in dubio adesse presumuntur. Unde filius e. g. non obstrictus est, ut successionem sibi soli competere probet, sed filia simultaneam successionem prætendens, intentionem suam docere tenetur.

## TH. 48.

Uno naturalium mutato, reliqua simul etiam mutata

tata esse non censentur. Unde non sequitur: hoc feudum est emtum, injuratum &c. ergò etiam fœminæ succedunt: ergò etiam pro lubitu alienari potest: ergò etiam servitia non præstanda, &c.

## Th. 49.

Nisi regulæ justæ interpretationis aliud svadeant. Sic quando in feudo remittuntur servitia, fœminis quoque defertur successio, quia cessat causa, ob quam fœminæ à successione feudali excludebantur.

## Th. 50.

Accidentalia inesse non præsumuntur, sed ex patetis dependent, hæc autem facti sunt. Unde Dominus ultra servitia adhuc certam pecuniæ sumam prætendens, hanc suam intentionem probare tenetur.

## Th. 51.

Feudum *solare*, quod à sole recognoscabant Gentes, nec est feudum proprium, nec improprium. Quando enim de nexu feudali quærimus, homines non referuntur ad Deum, à quo omnia proficiscuntur; sed ad se invicem.

## Th. 52.

Unde metaphoricæ sunt locutiones, non juridicæ, quando dicitur: *Omnes homines esse Dei vasallos*, & *esse saltem Procuratores rerum suarum, non Dominos*. Jurisprudentia enim de eo solum agit, quid homini in relatione ad alios homines competit. Hoc intuitu autem illud vasallagium alteri jus adversus me non concedit.

## Th. 53.

Ea denique quæstio hic non est prætermittenda: *Utrum statuta de feudis loquentia, de propriis saltom feudis intelligenda, an ad impropria quoq; pertineant?* Respondeamus,

## DISPUTATIO II.

mus, quod si verum esset principium illud multis Dd. usitatum, statuta strictè esse interpretanda; tunc sine dubio ad sola feuda propria statutorum dispositio restringi deberet. Sed quemadmodum illud principium nobis merito suspectum videtur: ita cum illis facimus, qui & de propriis & impropriis feudis talia statuta exaudienda esse afferunt, nisi ex circumstantiis de alia disponentium mente appareat. vid. Anton.

*disp. feud. i. thes. 7. lit. c. inf.*



COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO III.  
*sistens theses*  
*De*  
**PERSONIS,  
QUÆ CONTRACTUM  
FEUDALEM CELEBRA-  
RE POSSUNT,**

*quas*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

*FRIDERICO WILHELMO,*  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.


IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
**JACOBO FRIDER. LUDOVICI,**

Jurium Licentiatο,  
Eruditorum examini submittit  
**HENRICUS WILHELMUS STEUBE,**  
Eques Mansfeldensis.

Ad diem XIII. Maji An. MDCCI. horis locoq; consvetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.





### Th. I.

Vemadmodum omnes omnino contractus  
sex ipsa rei natura *ratione modi contrahendi* sunt  
bilaterales, id est, duæ personæ in iis necessa-  
rio requiruntur, quæ diverso respectu & *jus*  
*ex iisdem acquirunt, & obligantur*: ita quoque  
in contractu feudali idem evenit, unde partim ad *per-*  
*sonas feudum concedentes*, partim ad *acquirentes* in hac ma-  
teria respiciendum.

### Th. II.

Quando de *personis feudum concedentibus* quæritur,  
ante omnia supponendum est, concessionem rei in feu-  
dum esse speciem alienationis, alienationem autem non  
posse fieri, nisi ab eo, qui est Dominus rei concedendæ.

### Th. III.

Porrò etiam supponendum est, dominium resolvi  
in duas partes, quarum altera *proprietas*, altera autem  
*jus utendi* ( sive stylo metaphysicō & paululum obscu-  
riore, *ususfructus causalis* ) vocatur.

### Th. IV.

Adhuc tertio supponendum est, non sufficere ad  
facultatem alienandi, ut proprietas rei ad alienantem  
spectet; sed requiri etiam, ut *jus utendi* alienantis ar-  
bitrio & libertati sit relatum.

A 2

Th V.

## DISPUTATIO III.

## TH. V.

Illud etenim salus publica haud raro exigit, ut i-  
psis etiam rerum proprietariis certa meta præfigatur,  
in administratione rerum suarum observanda ne par-  
tim ipsi bonis suis spoliati Reip. oneri sint, alimenta à  
Magistratu vel concivibus exigentes: partim etiam,  
ne hoc ipso malitiosis hominibus occasio suppedetur,  
aliorum simplicitate, vel etiam stupiditate in ipsorum  
**detrimentum abutendi.**

## TH. VI.

Ex quibus suppositis jam ita colligimus: *Quicunq;*  
*non potest plenum rei sue dominium in alterum transferre, ei-*  
*nec dominium utile transferendi potestas competit.* Apprimè  
enim huc quadrat vulgatum illud: quicquid juris est in  
toto quoad totum: illud quoque juris est in parte quo-  
ad partem.

## TH. VII.

Dicis: At tamen per translationem solius Domini-  
ni utilis tantum præjudicium non patitur Dominus,  
quantum experitur, si re sua plenariè se abdicat: ergò  
ab uno ad alterū non videtur procedere consequentia;  
*Quid verò tum posteà? Sufficit, quod aliquod præjudici-*  
*um etiam ex solius Domini utilis translatione oriatur.*  
Legislator enim voluit, ut *nullum* nasceretur. Ergò &  
magnum & parvum præjudicium ipsius voluntati con-  
trariatur.

## TH. VIII.

Unde tandem fundamenti loco quoad personas  
concedentes sequentem regulam supponimus ex textu  
2. F. 3. *Novi investitura feudi non ab alio recte fit, nisi ab eo,*  
*qui legitime suorum bonorum administrationem habet.* *Qui*  
*enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare,*  
*is nec per feudum poterit investituram facere.*

## TH. IX

## TH. IX.

Ex quo textu generali statim apparet, quod in altero illo i. F. i. pr. ad quem communiter hic etiam provocari solet, non omnes personæ recenseantur, quæ feuda concedere possunt, reliquis exclusis; sed quod ibi saltem nonnulla exempla adducantur, de quibus meritò prædicatur illud tritum: *positò unò, non excluditur alterum.*

## TH. X.

Facilè ergò decidi potest quæstio: *An fœmina feudum concedere posse?* Si enim fœmina potest Dominium alicujus rei habere & liberam ejus administrationem, utique etiam rem illam alienare poterit. Unde qui allatam quæstionem negant, illis disputantibus similes esse videntur, qui concessis præmissis conclusionem in dubium vocant. Adde expressum textum 2. F. 3. §. 1. verb. *fœminam quoque*, qui per capitulum extraordinarium 2. F. 91. adhuc illustratur.

## TH. XI

Sed quid respondebimus ad l. 2. ff. de R. 3. ubi clare dicitur, *fœminas ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotas esse*, ex quo consequi videtur, eas nec dominarum directarum, nec Judicium feudarium personas sustinere posse; Egregium fortassis dubium, si alicujus momenti esset, & si Leges Romanæ tantâ pollerent autoritate, ut textibus juris feudalis expressis & obseruantiae derogare possent. Et quid? an putas, quod fœmina eō ipso officium civile & publicum in sensu juris Romani adipiscatur, si dominium utile rei suæ, retentō directō, alteri concedit? Non credimus.

## TH. XII.

Illud interim expeditum est, quod in locis, ubi

A 3

ad o-

## DISPUTATIO III.

ad omnes contractus fœminarum curatores requiruntur, v. g. in Saxonia, Ducatu nostro Magdeburgensi, & provinciis quibusdam aliis: ibi quoque curatoris consensus in concessione feudi exigatur, v. Struv. S. I. F. Cap. 5. aphor. 3. num. 1. Dn. Mauritius posit. jur. feud. Decad. 4. posit. 3. Quamvis enim & hic fœminæ dominium rerum suarum competit; alterum tamen requisitum thes. 8. deest, libera scilicet bonorum administratio. v. thes. s.

## TH. XIII.

Masculos quod attinet, quoniam hi diversi sunt ordinis & dignitatis, ideo DD. etiam distinctè de illis agere conservaverunt. Et ita quidem, ut à Papa incipientes in rustico tandem desinant. Sed quantum ad Papam, placent ea, quæ habet Dn. Titius in dem Deutschen Lehn-Recht cap. 6. §. 4. Der Römische Pabst/ inquit, gehöret so wenig in die Deutsche Lehn-Rechts Lehre/ als der Türkiss. Muffti, wenn Er sich aber in die Deutschen Sachen mischen wil/ so muß ihm billig mit gehörigen Gründen begegnet werden.

## TH. XIV.

An & quid possit hāc parte Imperator aliiq; Principes & Status Imperii, tām seculares, quām ecclesiastici, nec non Vicarii, ad nos non spectat in præsenti, sed in jure publico exponitur. Neque adeò circulos turbabimus, aut extra oleas vagabimur.

## TH. XV.

Hoc tamen generaliter observamus, Principem omnia in feudum concedere posse, quorum libera dispositio ipsi competit, e. g. regalia, & multò magis ea, quæ ad patrimonialia ejus bona referuntur, quippe quorum intuitu tanquam privatus consideratur. Excipiuntur verò bona domania, quæ destinata sunt ad sustentationem.

### DISPUTATIO III.

7

stentationem Regis & in quibus ipsi adeo non nisi u-  
susfructus competit, proprietas autem totius populi es-  
se censetur. Quamvis enim forte Rex sibi ad vitam su-  
am satis prospectum judicet, & propterea ejusmodi bo-  
na alienet, vel in totum, vel ex parte; tamen post i-  
psum aliò Rege populus opus habet, qui & ipse pro di-  
gnitate est sustentandus, v. Pufendorffius *de jur. nat. &*  
*gent. l. 8. c. 5. §. 8. & 11. B. Brunnemann. cons. l. n. 72. 74.* Chri-  
stianæus *Vol. 5. Dec. 53.* unde illa post immemoriale etiam  
tempus revocari vidimus nostris præcipue temporib⁹.  
Add. Mylerus ab Ehrenbach in *Nomologia c. 16. num. 2.*

### TH. XVI.

Ex eodem fundamento profluit decisio quæstio-  
nis: *An Episcopus, Abbas, aliisque prælatus propria autoritate,*  
*id est, sine consensu Capituli, res Ecclesiæ alicui in feudum de no-*  
*vo concedere possit?* Scilicet, ad ejusmodi Prælatum non  
spectat proprietas rerum Ecclesiæ, sed eas saltem ad-  
ministrat, iisque utitur fruitur, juxta leges in capitu-  
latione ipsi per modum conventionis præscriptas. De-  
ficit ergò requisitum primarium *thes. 8.*

### TH. XVII.

Unde simul consequitur, Prælatum in renovatio-  
ne investituræ feudorum veterum deteriorem Eccle-  
siæ conditionem facere non posse, v. g. ut remittat ser-  
vitia, ut admittat fœminas ad successionem, &c quia  
hoc involveret speciem alienationis.

### TH. XIX.

Potest verò de novo in feudum concedere rem,  
quæ infeudari solita fuit. Sed quænam talis est? De  
eo quidem nullum dubium, si jam anteå ejusmodi res  
actu alicui in feudum concessa fuit. Sed & videtur eam  
rem pro infeudari solita habendam esse, quæ ab Eccle-  
sia

sia (id est, consensu capituli) ad infeudationem semel destinata fuit, Dn. Beyer *posit. jur. feud. c. 4. pos. 30.* quæ assertio ex textu *i. F. 6.* non quidem probatur, genuinis tamen principiis conformis est, quia nec hic Prælatus aliquid in præjudicium Ecclesiæ suscipit. Ex quo simul apparent, certos hoc casu annos, ut in præscriptione rerum ecclesiæ, aut multos actus, ut in consuetudine, minime requiri, licet hic valde ineptiat Jac. de Belviso *in apparatu in consuet. feud. rubr. I. §. Quæritur ergo.*

## TH. XIX.

*Titulos* tamen, id est, prædia ad sustentationem clericorum destinata, in feudum planè concedi non posse satis clarè ex *d. text.* evincitur, quia hoc esset contra primam fundationem. Ubi obiter notandum, quod ex principio juris Canonici: *clericum non esse ordinandum sine titulo*, apud nos adhuc originem trahere videatur consuetudo, quod gradus in Facultate Theologica vix alicui conferri soleant, qui non in functione aliqua Ecclesiastica insigni est constitutus, cum è contrario in reliquis Facultatibus ad ejusmodi circumstantias plane non respici soleat.

## TH. XX.

E converso nec *capitulum* sede vacante nova feuda concedere potest, nisi res sit infeudari solita. Nec enim capitulo libera dispositio hac parte est relicta, sed illud cum prælato semper conjungi debet. Illustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 5. qv. 8. Struv. .S. J F. c. 5. aphor. 9. n. 5. inf.*

## TH. XXI.

*Furiosi, prodigi, impuberes, minorennes,* retinent equidem proprietatem bonorum suorum, sed facultate administrandi destituuntur; unde feuda concedere nequeunt. Sed Tutorum & curatorum consensu, imò & Ma-

& Magistratus decreto opus est in immobilium concessione, si e.g. creditores solutionem maximè quidem urgent, plenariam tamen addictionem bonorum non desiderant, sed infeudatione contenti esse volunt.

## TH. XXII.

Ex quo hæc regula extrui potest: *quicunque habet Tutorem vel Curatorem, ille sine hujus consensu feudum concedere nequit.* Quod adeo ad *surdos & mutos, morbo item sotico laborantes*, si hi curatores habeant, similiter applicari potest.

## TH. XXIII.

*Quod si vero hæ personæ ultimò loco nominatæ curatores non habeant, & animi sensa vel per verba, vel per evidentia signa declarare valeant; tunc feudi concessio ipsis non est deneganda.* Habent enim proprietatem & administrationem rerum suarum liberam.

## TH. XXIV.

Idem de *filiis familiæ* afferendum quoad peculum castrense & quasi, nec non peculum adventitium irregulare, quorum omnium intuitu quoscunque contractus inter vivos ipsi celebrare permisum, illustr. Dn. Stryk *Ex. jur. feud. C. 5. qu. 28.* Aliud autem quoad profectitum, ubi & proprietas & libera dispositio: nec non quoad adventitium regulare, ubi, licet salva sit proprietas, administrandi tamen facultas deficit.

## TH. XXV.

Restat *Rusticus*, de quo inter se non conveniunt DD. an feudum concedere possit? aliis id negantibus, aliis affirmantibus, quos magnò numerò allegatos vide apud Dn. Mauritium *Decad. 4. posit. 2.* Nos juxta fundamenta nostra supposita non possumus non, quin affirmatiæ subscribamus. Si enim *Rusticus* rei alicujus

B

pro-

proprietatem & administrationem liberam habere potest, quod nemo negabit: utique etiam illam rem vel in totum, vel ex parte alienare poterit. Alia autem est quæstio: an multi casus existant, ubi rustici feuda concederunt? quæ quamvis negetur, jus tamen non variat, v. Per-Illustr. Dn. de Rhetz *Comm. jur. feud. l. i. tit. i. p. 124.* Ad Leges civiles, quas nonnulli hīc ingeminare solent, jam sæpius ab aliis est responsum. *conf. i F. 7. verb. moderni autem. Dn. Beyer c. 4. pos. 5. seqq.* Diversum quidem etiam jure Saxonico veteri obtinuisse videtur, quō disponitur, *Dass alle die/ so nicht von Ritters- Arth vom Vater und von Eltern gebohren seynd/des Lehen Rechts hüten sollen; Verum hoc hodie abrogatum esse testantur DD. Finckelth. Disp. feud. s. controv. 13. Joh. Helv. Sinold. dictus von Schüß Colleg. jur. feud. C. 5. ab init. Carpzov. P. 3. C. 28. D. 5.*

## TH. XXVI.

Egregia adhuc addenda est quæstio: *Utrum Monachis & servi (in sensu juris Romani tales) feuda concedere valeant?* nam & hīc occupata est DD. curiositas, v. Anton. *Disp. feud. 2. tb. 3. lit. b. in fin. & tb. 5. lit. a.* Nos vero resolutionem hujus quæstionis ab hac præjudiciali quæstione dependere existimamus: *Utrum is, qui nec actu aliquid habet, nec etiam aliquid acquirere potest, illud vel in totum, vel ex parte alienare valeat?*

## TH. XXVII.

Quæ in jure Longobardico de *Capitaneis, Vallavoribus majoribus, minoribus & minimis* traduntur, ob diversum Reip. nostræ statum hodiè non nisi per modum similitudinis applicari possunt, atque adeò veram utilitatem non habent. Valde placent, quæ in hanc rem differit Dn. Titius in dem *Deutschen Lehn-Recht c. 6. §. 37.* Es liegt uns nichts daran / inquit, was die Longobarden

## DISPUTATIO III

II

den durch ihre Capitaneos und Valvafores verstanden haben und können solches ohne unsern Schaden nicht wissen / am wenigsten aber ist nothig / solche Nahmen auf die Deutschen Reichsstände zu legen / es zeiget solch Fürnehmen einen Legisten flärlich an / denn diese Leute können nicht leben / wenn sie nicht mit dem kurzen Massen der besondern Gesetze die ganze Welt ausmässen. Appri-  
mè profectò hoc etiam quadrat ad eos , qui nomina Magistratum Romanorum ad Status Imperii olim trans-  
stulerunt, dum e. g. Electores Praefectis Prætorio com-  
pararunt, quos rectè redarguit Knichen *de Saxon.* non  
*provoc. jur. c. 3. n. 34. 35.* & post eum Finckelth. *obs. I. n. 16.*

## TH. XXIX.

Melius inde procedunt , qui de origine diversorum feudorum solliciti , historiæ Germanæ evolvendæ operam impendunt. Ubi in jure feudali Alemannico sequentia reperiuntur c. 1. Süben Heerschilte / der fürt der König den ersten / die Pfaffen - Fürsten den andern / die Lenen - Fürsten den dritten / die frigen Herren den vierden / die Mittelsfrigen den fünften / der Dienstmann den sechsten / die semper - Lüte den sübenden. Sed hæc fusiùs persequi institutum nostrum non patitur. Nonnulla suppeditat , quæ ad explicationem faciunt Dn. Schilter *in Comm. ad b. l. & Illustr. Dn. Coccejus prud. jur. publ. c. 15.*

## TH. XXIX.

Denique & illud principium : *quod quisque per ali- um facit , per se fecisse putandus est*, in jure feudali locum obtinet. Unde feudum per procuratorem etiam con- cedi potest , modò speciale mandatum habeat. Quod valeret, licet textus juris Longobardici non adesset , qui tamen adeftz. F. 3. §. 1.

## TH. XXX.

*Quoad personas feudum acquirentes hoc fundamen-*  
B 2 *tum*

## DISPUTATIO III.

tum supponendum est: quicunque se libere obligare potest,  
ille quoque ad feudum acquirendum habilis est.

## TH. XXXI.

Ergo & fœmina, *Hermaphroditus*, *Clericus*, *cæcus*, *surdus*, *mutus*, *claudicans* & qui sunt similes; modò Dominus concedens hujus conditionis & qualitatis non fuit ignarus, v. 2. F. 3. §. 1. ibi: nisi ignorantia prætendatur. Si verò scivit, eatenus juri suo renunciâsse censemur, quod servitia per substitutum præstari possint.

## TH. XXXII.

Nec videmus rationem, quæ *rusticum* ab acquisitione feudi excluderet. Est enim obligationis capax. Et præterea servitia tam equestria, quam pedestria præstare potest. Aliud olim apud Longobardos, ubi nobiles tantum milites erant. Unde factum, quod ordo equestris adhuc hodiè vocetur die Ritterschafft/ quia veterum exercitus in Italia potissimum equitatu constabat, Besoldus lib. 1. polit. c. 11. Joh. Helvic. Sinoldus dictus von Schütt colleg. jur. feud. c. 5. p. 68.

## TH. XXXIII.

*Impuberis*, *minorennis*, aliæque personæ, quæ sub cura aliorum existunt, e. g. *prodigi*, *furiosi*, &c. liberè se obligare non possunt, ergò nec feudum acquirere sine Tutorum vel Curatorum consensu.

## TH. XXXIV.

Non refragatur, quod alias acquirere possunt, si titulo lucrativo aliquid in eos transfertur, e. g. donationem acceptare, &c. quia tunc cessat causa, ob quam Tutores & curatores constituuntur, quæ hæc est, ne damnum patiantur pupilli. Manifesta enim adest disparitatis ratio. Feudi concessio non est mera donatio, v. *Dissert. præced. th. 6.* sed acquirens feudum ad servitia præ-

præstanta vicissim obligatur, ubi interdum plus oneris, quam commodi subesse potest. Quamvis enim servitia pro feudi quantitate communiter determinari soleant; potest tamen casus fortuitus id operari, ut unō alterōve anno ex fructibus feudi parūm vel nihil percipiat Vasallus, ubi nihilominus tamen servitia debentur, quō ipsō non posset non Vasallus in rebus aliis, quæ allodii titulō ad ipsum spectant, damnum incurrere.

## TH. XXXV.

Nec obstat, quod tamen ex praxi præcipue hodiernâ servitia sumtibus domini præstentur; Nihilominus enim Vasallus sumtus eos ferre tenetur, quæ ad expeditionem fuscipiendam pertinent, v. g. equum & omnem apparatus, die Mundirung / comparare debet.

## TH. XXXVI.

An & is, qui in majore dignitatis gradu constitutus, ab inferiore feudum acquirere potest? Quidni? Est enim & hâc ratione obligationis capax. Et potest quis diverso respectu diversa etiam jura habere. Quamvis itaque textus 2. F. 100, tanquam capitulum extraordinarium non valde probet; res tamen & sine omni textu est expedita. Ita Rex Daniæ à Ducibus Brunsvicensibus & Lunæburgensibus feudi titulō tenet das ganze Stadt- und Budjadinger Land / prout formula investituræ A. 1668. factæ ab Illustri Dn. Strykio *in append. exam. jur. feudal.* communicata ostendit. Alia exempla habet Dn. Titius C. 6. §. 54.

## TH. XXXVII.

Hæreticos, Bannitos, excommunicatos & infames feuda *ob impedimentum a prohibitione legis proveniens* acquirere non posse, plurium interpretum communis quasi assertio est, de qua tamen paulò accuratius dispiciendum,

## TH. XXXVIII.

Quantum ad *hereticos*, in imperio Germanico uni ex tribus Religionibus, Lutheranæ, Reformatæ vel Pontificiæ addicti pro talibus non habentur quoad effectus civiles. Quoad reliquos secus, sed hoc quidem ex principio papistico, quod homines qualibet ratione vel directò, vel per indirectum ad Religionem cogi posse supponit & juxta principia Evangelica merito emendandum.

## TH. XXXIX.

*Bannitos* feuda non posse acquirere in eo scilicet territorio, ex quo sunt proscripti, rectè dicitur. Reputantur enim pro hostibus, qui omnium emolumentorum in terra hostili sunt incapaces.

## TH. XL.

*Excommunicatos* ab acquisitione feudorum exclude-re, iterum flosculus papisticus est merito reformatus. Quod si enim excommunicatio pœna spiritualis est, prout venditatur, mediis violentis & brachio seculari non debet executioni dari. Optimè Zieglerus *ad Lancellot. l.3. Tit. 2. §. 13.* excommunicatio non privat quemquam dominio, aut jure naturali, gentium aut civili, sed facit tantùm excommunicatum NB. à beneficiis Ecclesiæ propriis. Add. Brunnem. *injur. eccles. l. 2. c. 19. §. 11.*

## TH. XLI.

Quoad *infames* sequentes reperimus rationes, quibus evincere nituntur DD. eos feudorum esse incapaces, (1) quia infames nullas dignitates acquirere possunt, ergo nec dignitatem feudalem, Anton. *Disp. feud. 2. tb. 6. lit. f. in fin.* (2) quia persona infamis in curia Domini, ubi omnia solenniter fiunt, stare nequit, & (3) in causis feudalibus plerumque tantum convasalli testes producuntur,

cuntur, infames autem testes esse nequeunt, quia fidem non merentur. Sinold. *Colleg. jur. feud. C. s. p. 68. 69.*

## Th. XLII.

Sed nullius valoris hæ rationes esse videntur. Primo enim concessio feudi vel fit à privato, vel à Principe. H̄o casu feudum non infert dignitatem aliquam, & sic rat. i. non stringit. H̄o casu autem Princeps per concessionem feudi & simul dignitatis, de infamia dispensasse censetur. Deinde curia domini, solennis hodiè non amplius obtinet, atq; non soli convasalli, sed alii etiam ad testimonium adhibentur, unde ratio 2. & 3. cessat, de quo suis locis fusiūs dicetur.

## Th. XLIII.

De servis quærunt DD. sed nulos habemus amplius, adeoq; inutiliter quærunt. Quod si autē haberemus, expeditū esset, eos non sibi, sed Domino acquirere, quicquid illis etiam feudi nomine obveniret. Habentur enim cum Dominis pro una eademq; persona. Idem de Monachis dicendum, ob votum paupertatis præstitum, qui Monasterio acquirūt.

## Th. XLIV.

Deniq; quemadmodum concessio feudi per procuratorem fieri potest, v. thes. 29. ita quoq; ejusdem acquisitio. Cum hac tamen differentia, quod quando ipsa fidelitatis promissio, præcipue jurata facienda, hæc non aliter nisi consentiente Domino per procuratorem fieri queat. Scilicet, in concessione feudi vasallus interesse aliquod doce-re nequit, quare eadem præcisē ab ipso Domino fieri debat; bene tamen Dominus in casu posteriori. Multi enim reperiūtur homines tantæ malitiæ, ut se juramen-to parum vel plane non obligari existiment, si illud per mandatarium præstitum fuit. Quod si ergò dominus ex circumstantiis ejusmodi vel malitiam, vel levitatem in vasallo

vasallo deprehendat, utiq; juramenti præstationem in propria persona à Vasallo faciendam exigere potest.

## TH. XLV.

Solent DD. ubi de personis feudalem contractum celebrantibus agunt, simul etiam materiam *de Tutela & Curia feudal i inserere*; sed cùm hic nihl diversum habeat jus feudale à jure civili, eō unicō exceptō, quod in feudiis etiam dentur Curatores legitimi, secus ac in alodialibus; neque etiam operæ pretium erit ea repete-re, quæ ex jure civili jam innotuerunt.

## TH. XLVI.

*Circa feudorum oblationem idē fundamentum est re-petendum, quod anteā supposuimus. Scilicet quicunq; li-beram bonorum suorum habet administrationem & dispositionem, is eadem alteri infeudum offerre potest. Et vicissim: quicunq; facultate se libere obligandi gaudet, is feuda ab altero oblatare-cipere valet. Ex quibus generalibus fundamentis quæsti-ones speciales facillimō negotiō decisionem capere pos-funt.*

## TH. XLVII.

Duos saltem tangemus casus. Quæritur: an Ganer-bii bona sua alteri infeudum offerre possint? Et respondetur negandō, quia liberadispositione in præjudicium Ganerbiorum reliquorū non pollent, ob pactum Ganerbinat⁹ semel initum.

## TH. XLVIII.

Quæritur deinde: an subditus bona sua extraneo Prin-cipi aut privato, offerre possit? quod utrumq; negamus, quia contra subjectionem impingere videtur, ab extra-neo protectionem querere. Aliud autem, si Princeps of-ferentis consentiat. Aliud quoq; si subditus ab extra-neo feudum datum acquirat, hoc enim fit feudum non li-gium, & ratio diversitatis adest. De aliis quæstionibus huic pertinentibus ex professo egit Excell. Dn. Thoma-sius in *diss. def. feud. oblat. c. 2.* qui videri potest,

\*(o)\*

COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO IV  
sistens theses  
De  
**CONTRACTU  
FEUDALI ET IPSIUS  
OBJECTO,**

quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

*FRIDERICO WILHELMO,*  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E

JACOBO FRIDER. LUDOVICI,  
Jurium Licentiato,

Eruditorum examini submittit

*H E N R I C U S W I T T E,*  
Regiomonto-Borussus.

Ad diem

Jun. An. MDCCI. horis locoq; consvetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.

VI ОГЛАЩАЕШИ

СЛУЖБЫ

ПРАВОСЛАВИЯ  
СОУЧЕСТВИЯ

СВЯТОГО ПАВЛА АПОЛЛОНА  
ИЗ РИМА ПОСЛАНИЯ  
ДО СВЯТОГО ПАВЛА АПОЛЛОНА

ПРОТИВ ЕРЕВИАНСКОЙ  
СКАЗКИ

СВЯТОГО ПАВЛА АПОЛЛОНА  
ИЗ РИМА ПОСЛАНИЯ  
ДО СВЯТОГО ПАВЛА АПОЛЛОНА

ПРОТИВ АНГЛИЙСКОЙ СКАЗКИ



### TH. I.

Ontractus feudalis, quem definivimus *Disput. 2. thes. 13.* dupliciter considerari potest, primo quando *perfectus*, & deinde quando *consummatus* dicatur.

### TH. II.

Quantum ad ejusdem *perfectionem* attinet, nihil amplius requiritur, quam ut utraque contrahentium pars consensum suum vel per verba *expresse*, vel per facta *tacite*, clare tamen, declaraverit. Id est, ut constet, alterum feudum concedere, alterum vero idem accipere velle. Sine consensu enim nulla oritur obligatio.

### TH. III.

Sapit autem regulariter Contractus feudalis naturam donationis, non tamen simplicis, sed sub modo factae, præstandorum scilicet invicem a vasallo servitorum & fidelitatis. v. *Disp. 3. th. 34.*

### TH. IV.

Potest tamen & per modum emtionis venditionis, permutationis, &c. celebrari. Sed hoc casu a naturalibus feudi eatenus receditur, & feudum ex proprio fit improprium. Verum tamen feudum manet. v. *Disp. 2. thes. 31.*

### TH. V.

Ex ejusmodi contractu perfecto sine dubio jus perfectum  
A 2

fectum nascitur, quod actionem contra alterum contractum adimplere recusantem tribuit. Sed est saltem *jus personale*. Et propterea si res promissa penes tertium existat, contra hunc actio, quæ realis esse debet, minimè conceditur.

### TH. VI.

Ut ergò is, cui feudum promissum, jus reale consequatur, contractus feudalis plenè consummatus esse debet, quod in reliquis quoque contractibus ita obtinet. Unde vulgatum illud: *Contractibus restantum fiunt debitæ, sed traditionibus nostræ. conf. l.9. §.4. ff. de public. in rem act.*

### TH. VII.

*Consummatio* contractus feudalis consistit in traditione rei per illum contractum promissæ. Et hæc traditio in jure feudali *investitura* nomine communiter venire solet.

### TH. VIII.

Differt autem à traditione rerum allodialium hæc *investitura*, quod illa sine omni solennitate inter privatos, e. g. emitorem & venditorem, perficiatur; è contrario autem hæc certas quasdam solennitates *ex dispositione juris Longobardici* ad sui subsistentiam requirat.

### TH. IX.

Solennitates illæ *juris Longobardici* in hisce tribus consistunt: (1) ut signa quædam adhibeantur, e. g. hasta, 2. F. 2. pr. vexillum, gladius, annulus, &c. Gothofred. *ad cit. loc. Tholosan. Synt. jur. l.6.c.14.n.7 seq.* nam sine ejusmodi signis solā traditionem non sufficere, clarè ostendit textus. 1. F. 25. licet hoc casu per præscriptionem possit acquiri feendum, si possessio per justum tempus continuetur, v. 2. F. 33. (2) ut præsentes sint pares *Curiæ*, 2. F. 32. ad minimum

\*(5)\*

mum duo, 2. F. 2. & (3) ut feudi investitaram Vasallus  
humiliter atque devote expetat, arg. 2. F. 23. vers. quomo-  
do enim. Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. 17. qv. 21.

Th. X.

Moribus nostris illæ solennitates maximam par-  
tem sunt sublatæ, præcipue quoad feuda mediata, quæ  
à Statibus imperii recognoscuntur. Ibi enim nec si-  
gna, nec Pares Curiæ adhibentur, sed tota res, ut alii a-  
ctus judiciales, à Cancellaria feudali perficitur. Neq;  
etiam præter consuetam civilitatem à vasallo aliquid  
exigi solet.

Th. XI.

In feudis, quæ immediate ab Imperatore depen-  
dent, Pares curiæ etiam adhiberi non solent. Sed  
quando ipse Imperator in propria persona vasallum in-  
vestit, quod fit in Electoratibus, Ducatibus & Princi-  
patibus, Limnæus de jur. publ. l. 4. c. 7. num. 24. Consi-  
liarii nonnulli eidem adsistunt. Quando autem Comi-  
tes & reliqui minores investiendi, actus in Consilio im-  
periali Aulico celebratur.

Th. XII.

Loco variorum veterum signorum, præcipue sce-  
ptri & vexilli, de quibus ita in speculo Saxonico lib. 3.  
art. 60. der Käyser soll leihen allen Geistlichen Fürsten ihc  
Recht mit dem Scepter und allen weltlichen Fürsten mit  
dem Fahnen/ hodie gladius adhibetur, es muß der Vasall  
nach abgelegter Lehns-Pflicht des blossen Schwerts/ wel-  
ches J. R. M. in Händen hält/ Knopff füßen. Obtinet  
quoque adhuc humillima illa petitio, quæ fit durch drey-  
mahliges niederknien. Hæc duo tamen, quæ modo ad-  
duximus de gladii exosculatione & geniculatione, an &  
tunc observentur, si investitura coram Consilio Auli-

co peragitur, nescimus. Inclinamus tamen in negativam, cum ex adjunctis illis, quæ reperiuntur in *Ex. jur. feud.* Illustr. Strykii, tale quid cernere non liceat.

## Th. XIII.

Concurrunt ergò in hac investitura & *actualisfeudi traditio*, & simul *signorum recensorum adhibitio*. Quid verò, si signa deficiant? v. suprà *thes. 9.* Quid si actualis traditio deficiat? Tunc vocatur investitura *impropria* vel *abusiva*, quæ priori, tanquam *propriè sic dicta*, opponi communiter solet.

## Th. XIV.

Circa hanc investituram abusivam (quæ quodammodo cum *traditione symbolica rerum allodialium comparari* potest,) valdè controvertitur inter DD. *an etiam jus reale tribuat?* perinde ut investitura propria, de qua in *th. 6. & 7. locuti sumus.* Affirmativam tuentur Finckelthaus. *disp. feud. 7. c. 3.* Duarenus *de feud. c. 7.* Gudelinus *de feud. l. 2. c. 5.* Negativam è contrario propugnat Struv. in *S. J. F. c. 8. aphor. 9.* cui & nos subscribimus, hac præcipue ratione moti, quod quidem alias jus civile in subsidium juris feudalis allegari possit, nisi tamen manifesta disparitatis ratio adduci queat. Talis autem hic reperitur. Signa enim sive symbola, de quibus jus civile agit, ad rem spectant, v. g. clavis repositorii, domus, instrumenta, &c. & iisdem res ipsa signata præsens conceditur & apprehenditur. Signa autem juris feudalis ad rem non pertinent, sed *solenitatis tantum causa* adhibentur.

## Th. XV.

Investitura alia *simplex* est, alia *simultanea*. Illa vocatur, quando unus de feudo investitur; hæc quando plures. Obtinet verò simultanea de jure Longobardico nonnisi certis casibus, quæ recensentur in textibus

bus 1. F. 1. §. 2 1. F. 3. vers. nisi ille, 2. F. 12. § 18. Hoc enim jure omnis ille, qui à primo acquirente descendit, jura successionis in feudo jam habet, nec ulteriore investitura indiget.

Th. XVI.

Aliter jure Saxonico, ubi nulli Agnati ultimi possessoris succedunt, etiamsi primi acquirentis descendentes sint, nisi ipsis per simultaneam investituram prospectum fuerit. Quam deinde oin ni casu renovare necesse habent, non minus, quam ille, qui feudo actu utitur fruitur. *Lehnrecht c. 21. inf. & c. 31. H. Pistor. qv. 19. n. 41. seqq.* Et hæc consuetudo etiam in feudis immediatis recepta esse videtur, vid. *actum investiture Brandenb. in Exam. jur. feud. cit. verbis*: So lange dieser actus währete / griffen die übrige Fürstliche Gesandte wegen der gesambten Hand an den Mantel / nachdem einer vor dem andern zu der succession berechtiget ist / ubi etiam habetur, quod Legatus Electoralis petierit die gesamte Hand andero Herren Vettern Landen.

Th. XVII.

Tribuit hæc simultanea investitura condominiū, (sine jure tamen utendi quamdiu alter vivit,) & per consequens actionem realem producit, repetendī rem in casu devolutæ successionis à quocunque posseſſore. Unde differt ab *Expectativa, sive superinfeudatione, dem Angefall/ der Anwaltung*.

Th. XVIII.

*Expectativa* tantūm jus personale tribuit, unde si feudum, in quo expectativam concesſit dominus, ejus consensu à posſeffore alienatur; rei vindicatio expeſtivario contra tertium non competit, sed tantūm aetio ad interesse contra dominum, qui in alienationem conſenſit,

Th. xix.

\* (8) \*

TH. XIX.

Expectativa sine consensu præsentis possessoris rite conceditur. Quod si hic contradicere vellet, vulgariter illo alter uti posset: *Exceptio tua non interest repellit omnem agentem.* In textu 1. F. 27. §. si quis referuntur quidem duæ opiniones sibi hac parte contradictentes; ex quibus tamen posterior, tanquam principiis juris magis conformis, merito præferenda.

TH. XX.

Expectativa pure facta non valet, 1. F. 9. Sub conditione *feudi aperiendi* generaliter facta, omnem casum, & feloniae & mortis vasalli sine heredibus involvit. Sed quid si sub alterutra hac conditione specialiter expectativam quis sit consecutus? Putamus, quod una alteram neutiquam includat. Id est, casus feloniae eam mortis non comprehendit, & viceversa. Andr. de Isernia in 2. F. 26. §. *moribus.* Schrader *de feudis* p. 3. c. 2. n. 50. Vultejo dissentienti respondet Struvius *S. I. F. cap. 7. apb. 5. n. 7.*

TH. XXI.

Si pluribus expectativa intuitu ejusdem feudi concessa fuerit, is potior jure censebitur, qui tempore prior fuit. Nisi alter jam ante ipsum possessionem natus fuerit, arg. 1. v. C. de R. V. ab hoc enim nec Dominus concedens, nec posterior expectivarius rem repetere potest. Non ille, qui facto proprio contravenire nequit. Nec hic, quia actio realis ipsi deficit. Semper tamen reliquis expectivariis, quibus res ipsa tradi non potest, actio ad interesse contra dominum concedentem supereft.

TH. XXII.

Porro investitura vel est *prima* sive *nova*, vel *iterata*,

*rata, quæ & renovatio investituræ appellari consuevit.* Illa in novis, hæc in antiquis feudis obtinet. Utraque, præsertim hodie, eadem requisita & substantialia ut plurimum habet. De jure Longobardico equidem hæc differentia aderat, quod renovatio investituræ sine parium curiæ præsentia fieri poterat, secus ac prima investitura. 2. F. 37. *in fin.* Sed cum hodie nequidem in prima illa pares curiæ amplius requiri dixerimus jam suprà *thes. ii.* illa differentia sua sponte corruit.

## TH. XXIII.

Hoc tamen discrimin adhuc hodie intercedit, quod in nova investitura vasallus se ad juramentum fidelitatis offerre non teneatur, sed domini vocacionem expectare possit; quod in renovatione investituræ aliter se habet. Quoad posterius textus adest 2. F. 24. quoad prius autem talis, quantum nobis constat, deficit. Interim nihilominus salva res est & fundamento non caret opinio D.D. v. Rosenthal *de feudis p. 6. conclus. 66. lit. c.* Anton. *disp. feud. 4. tb. 8. lit. a. in fin.* Qui enim vult antecedens, is consequens etiam velle censetur. Ergò dum Vasallus feudum acceptat, & simul ad ejus naturalia præstationem juramenti fidelitatis pertinere novit: in hæc quoque consensisse intelligitur. Tacita itaque oblatio adest.

## TH. XXIV.

Sed intra quod tempus renovatio investituræ petenda erit? annum & diem requirunt textus 2. F. 24. & 2. F. 40. annus autem & mensis præfixus est i. F. 22. ab init. Quænam nunc sententia erit præferenda? Placet eorum opinio, (quæ etiam communis & praxi approbata est,) qui in prioribus textibus *diem* non naturalem, sed civilem intelligunt. Notum enim est, Longobar-

B

dos,

dos origine sua fuisse Germanos. Hos autem per diem longius spatium intellexisse, quam tempus 24. horarum, ipsum jus Saxonum testatur, quod in materia præscriptionis per vocem Jahr und Tag intelligit ein Jahr / sechs Wochen und drey Tage / v. Finckelth. Obs. 83. n. 2. Heigius p. I. qv. 16. n. II. § 36. seqq. Unde aliorum ridiculas conciliationes, Legulejismum maximè sapientes, meritò ridet Dn. Beyer c. 6. posit. 76. seqq.

## TH. XXV.

Petenda est renovatio investituræ quotiescumque mutatio vel in persona domini, vel in persona vasalli, idque iterum sive morte, sive alienatione feudi, sive feloniam contingat.

## TH. XXVI.

Quod si mortuō Domino directo plures eidem succedant, ab omnibus conjunctim renovatio investituræ petenda omnibusque conjunctim jurandum. Repræsentant enim hi omnes conjunctim demum personam defuncti intuitu unius rei.

## TH. XXVII.

Porrò mortuo uno ex hisce in communione viventibus dominis, a liberis ejus renovatio investituræ iterum petenda. His enim nondum juratum fuit, quod tamen fieri deberet. Quod si liberos non reliquerit defunctus, juramento novo opus esse non videtur. Jam enim anteā omnibus pro indiviso feudum tenentibus juratum fuit. Unde quamvis unus ex illis decedat, firmitati tamen juramenti nihil decedit. Reliqui enim adhuc viventes, quibus pars defuncti accrebit, eum repræsentant. Frantz. l. I. resol. 19. n. 22.

## TH. XXIX.

Vasalli defuncti heredes singuli tenentur ad præstatio-

stationem juramenti fidelitatis, siue feudum diviserint,  
siue non. Aliud autem, si unus tantum consequatur  
feudum, 2. F. 26. §. omnes filii.

### Th. XXIX.

Pluribus feudum possidentibus vel pro diviso, vel  
pro indiviso, & uno ex illis mortuo, ejus liberi itidem  
ad renovationem petendam sunt obstricti. Interest  
enim domini, ut & de horum fidelitate certior reddatur.

### Th. XXX.

Quod si liberos non reliquerit defunctus, distin-  
gvunt, an ipse cum reliquis feudum pro diviso, an pro  
indiviso possederit. Posteriori casu renovationem in-  
vestituræ non exigunt, bene tamen priori, Berlich. p.  
2. Conclus. 53. num. 36. Struv. S. I. F. C. 10. apb. 3. n. 2. qui atunc  
intuitu partis, quam defunctus possedit, reliqui non-  
dum jurarunt.

### Th. XXXI.

Interdum unus nomine omnium renovationem  
investituræ petit, qui vocatur der Lehn-Träger & con-  
fensu domini est constituendus. Hoc casu ad mutati-  
ones in ejus persona factas solummodo respicitur &  
tunc renovatio investituræ exigitur.

### Th. XXXII.

Pro investitura à Vasallo *Laudemium* præstatur, die  
Lehnwahr/das Lehngeld/ quod in jure feudali Longobar-  
dico tamen fundamentum non habet, sed per mores  
salem Germaniæ est introductum.

### Th. XXXIII.

Eius quantitas non est universaliter determinata,  
sed pro diversitate locorum ipsa variat. Unde ad sta-  
tuta & mores cuiusvis loci respiciendum. Ita in Sa-  
xonia vicesima pars pretii feudi; in Marchia pro quo-

\* (12) \*

vis equo feudali 25. thaleri solvuntur, Illustr. Dn. Stryk,  
f. 17. qu. 28.

TH. XXXIV.

Solvitur autem illud Laudemium in recognitio-  
nem & grati animi testimonium pro beneficio noviter  
accepto. Unde facile judicium ferri potest de quæsti-  
one: *an & illud eo casu sit solvendum, si mutatio in persona*  
*domini contigerit?* item: *an bi quoque ad Laudemium tene-*  
*antur, qui jus succedendi ex prima investitura habent?* sive,  
qui primi acquirentis sunt descendentes? Scilicet ne-  
gandæ sunt illæ quæstiones, quia neutro casu de novo  
aliquid acquiritur. In praxi tamen communiter con-  
trarium observatur, quia causa Laudemii est causa fa-  
vorabilis intuitu domini, quæ juxta prætensam illam  
regulam juris est extendenda.

TH. XXXV.

Objectum contractus feudalis sunt regulariter  
*res corporales & immobiles*, prout dictum in *disp. 2. thes.*  
*42. 43.* Interdum tamen & res *incorporales* atque *mo-*  
*biles.* Quæcunque enim res utilitatem aliquam affer-  
te potest alteri, in ea quoque feudum rectè constitui-  
tur. At verò illa utilitas non solum in immobilibus,  
sed mobilibus quoque; non solum in corporalibus, sed  
& incorporalibus, v. g. *jure piscandi, venandi, pascendi,*  
*jurisdictione, &c.* deprehenditur.

TH. XXXVI.

Cujuscunque rei plenum dominium alteri con-  
cedi nequit, illa quoque res ipsi in feudum dari non  
potest. Rationem repete ex *Disp. præced. thes. 6.*

TH. XXXVII.

Ita *res sacra* non potest plenè alienari; ergò nec  
ex parte. Quod si vero supponantur *casus summa ne-*  
*cessita-*

*cesitatis, de quibus Brunnem. de jur. Eccles. l. 2. c. 2. §. 6.*  
*tunc & feudi constitutio procedit & omnimoda alienatio.*

Th. XXXIX.

*Bonorum ecclesiasticorum alienatio non modo in casu  
 necessitatis, sed evidentis quoque utilitatis permittitur,  
 v. Schilteri instit. jur. Canon. l. 2. Tit. 6. §. 16. ergo & tunc  
 feudi constitutio concessa erit, adhibitis tamen illis, quæ  
 aliæs requiruntur, v. Id. loc. cit. §. 17.*

Th. XXXIX.

*Murorum & portarum hodiè non est ea sanctitas, qua-  
 lis erat juxta superstitionem Gentilismi. Inhabitan-  
 tur enim & portæ & muri passim. Quæritur ergo: an  
 non ejusmodi inhabitandi jus feudi titulo alicui concedi queat?  
 Nil prohibere videtur. Idem de sepulbris hereditariis  
 judicium esto, modo vasallus eadem non ad usus pro-  
 fanos applicet.*

Th. XL.

*Res universitatis commercio privatorum quidem  
 sunt eatenus exemptæ, ut privatus eas alienare neque-  
 at: toti tamen Universitati potestas alienandi & in feu-  
 dum dandi denegari nequit. Nec enim amplius apud  
 nos est Status democraticus, qui non patiebatur apud  
 Romanos, ut privati ejusmodi res acquirerent & for-  
 san formam Reip. immutare præsumerent.*

Th. XLI.

*Quærunt communiter: an etiam res aliena in feu-  
 dum concedi possit? & hanc quæstionem rectè quidem af-  
 firmant, sed quisnam controversiæ status propriè sit,  
 accurate non exprimunt. Talis ergo casus supponen-  
 dus: Possedit Titius hactenus prædium aliquod illud-  
 que ad patrem suum olim spectasse adeoque ad sejure  
 successionis devenisse bona fide, sed erronee credit.*

B 3

Con-

Concedit hoc Sempronio in feudum. Sempronius illud acceptat, sed deinde servitia ejus intuitu præstare tamdiu recusat, donec Titius probaverit, prædii dominium ad se reverè spectasse. Quæritur: an hæc Sempronii exceptio sit valida? & respondetur negando. Regeret enim Titius, Sempronii non interesse, an ipse dominus fuerit, annon. Quod si enim res in feudum concessa evincatur, Sempronio actionem ad præstandam evictionem contra Titium salvam esse, 2. F. 8.

#### Th. XLII.

*Jurisdictionem quoque in feudum concedi posse, supra thes. 35. dictum est.* Sed cum duæ sint ejusdem species, *superior s. alta & inferior sive bassa*, die unter und Ober-Gerichte maxima controversia inter D D. agitantur, an utraque, an inferior saltem concessa videatur, si in instrumento investituræ hæc formalia reperiantur: Es solle der Vasall mit den Gerichten oder der Jurisdiction belehnet seyn.

#### Th. XLIII.

Inferiorem saltem concessam esse asserit Struvius Cap. 6. apb. 18. n. 4. pro utraque pugnat Carpzovius p. 2. C. 40. Def. 6. judicium plane suspendit Dn. Beyer pos. jur. feud. c. 5. pos. 27. qui tamen postmodum in pos. ff. ad tit. de jurisdict. pos. 49. Carpzovii sententiæ accesfit. Nobis placet sententia Struvii, quam etiam fovet Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. 8. qu. 24. & Knichen de pact. investit. p. 2. c. 1. n. 54.

#### Th. XLIV.

Res ex indole præsumptionum facile patescit. Hæ autem, quando de factis humanis ambiguis quæritur, in natura humana fundamentum habere debent. Jam ergo, quemadmodum gratuita concessio plane non præ-

præsumitur ob amorem habendi omnibus, vel certe plurimis hominibus insitum: ita quoq; quando quæritur: *an multum, an parum saltem concessum fuerit?* hoc posteriorius ex eodem fundamento præsumendum erit. Application ad casum propositum facile fieri potest. Nec est, quod à privato ad Principem consequentiam non procedere dicas; Princeps enim eandem naturam humana habet, quæ apud privatum deprehenditur, adeoq; & iisdem affectibus subjacet, qui per lapsum protoplatorum omnes homines invaserunt.

## TH. XLV.

Deinde Vasallus, non dominus, sibi imputare debet, quod non fuerit clarius locutus, adeoque etiam contra Vasallum facienda interpretatio. Jurisdictio enim omnimoda non est necessarium prædii alicujus connum, sed saepiuscule ab eodem separata reperitur. Ergo vasallus aliquid prætendit peculiare, quod ex concessione prædii in feudum regulariter non profluit, & per consequens mentem suam perspicue aperire debuisset. Annon enim ipsi innotuit vulgatum illud: *Propositum in mente retentum nihil operatur.*

## TH. XLVI.

At dicis; Vox mit den Gerichten/mit der Jurisdiction, est generalis, ergo omnes species sub se comprehendit; Concederem hoc, si Ictus non ultra clara verba procedere deberet, & nisi ante adducta liquido ostenderent, genus hic omnes species sub se non comprehendere.

## TH. XLVII.

Idem in quæstionibus *de jure venandi* obtinere persuasi sumus, quod scilicet in dubio venatio tantum inferior concessa censi debeat. Late Finckelth. *obs. 41.* Idem quoq; intuitu regaliū aliorum juris, quæ quāvis generliter

liter concessa sint, ultra minora tamē extendi nequeunt,  
Rosenthal *de feud.* c. 5. concl. 13. n. 11. Illustr. Dn. Stryk. c. 9. qv. 26.

Th. XLIX. Sed ubi manet brocardicum: *beneficia Principum quām latisimē esse interpretanda?* Putamus illud falsitate laborare. At vero in l. 3. ff. *de Const. Princ.* illud reperitur? Javolenus, Ictus, ejus autor est, & ex hoc in Pandectas transtulit Tribonianus; Quid vero nobis cum Javoleno & Triboniano. Imperator jussit Tribonianum ut Leges colligeret, non autem ut regulas interpretandi exhiberet, & sic Logicum ageret. Dum itaque ille limites mandati prætergressus, nobis quoq; ipsius autoritatem hac parte deprecari concessum erit. Alias enim & hoc credere nos oporteret, *jus naturæ esse, quod naturæ omnia animalia docuit ex pr. 3. de I. N. G. &c.*

Th. XLIX. Et ne nobis periculosam aliquam novitatem hic imputes, evolve B. Brunnemannum, qui in *Comment. ad d. l. 3. n. 6.* sequentem in modum differit: In iis, quæ specialiter ad Principem pertinent jure Regalium, v. g. in venationibus, quæ hodie ad Regalia pertinent, quicquid contra disputetur, ibi beneficia stricte intelligenda, ne successori præjudicetur, v. g. concessa venatione majorum ferarum, non est concessa venatio per bombardas, sed tantum per canes & retia, Carpzov. p. 3. dec. 287.

Th. L. De eo ultimo loco quæritur: *an ipsum jus piscandi, venandi &c. ad regalia pertineat, & per consequens in feudum concedatur, an saltem redditus pescationum, venationum, &c.?* Posterius solummodo concedit Anton. *disp. feud.* 3. th. 8. lit. f. leges juris Romani allegans, juxta quas jus piscandi omnibus commune est, tum in mari, tum in fluminibus. Quemadmodum verò Vir Excellentissimus, Dn. Joh. Sam. Strykius in *notis ad d. l.* jam observavit, à statu Romanorū populari ad statum nostrum Monarchicū argumentū duci non posse: Ita nos illam Antonii miseram subtilitatem risu dignam judicamus. Quid enim juvat singulis adhuc jus piscandi adscribere, ex quo nullam utilitatem percipere aut sperare unquam possunt. Mirum planè illud jus est, quod effectu juris destituitur.

COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO V  
sistens theses  
De  
**PRÆSCRIPTIO-**  
**NE ET SUCCESSIONE**  
**FEUDALI,**

quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

*FRIDERICO WILHELMO,*  
REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

Eruditorum examini submittit

JOHANNES FRIDERICUS BACHOVIUS  
Liber Baro ab ECHT,  
P R Ä S I D E

JACOBO FRIDER. LUDOVICI,

Jurium Licentiato,

Ad diem XV. Jul. An. MDCCI. horis locoq; consuetis.


---

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.





### TH. I.



Ræscriptio feudalis vel consideratur tanquam modus feudum de novo constituendi & sic pristinam rei allodialis naturam immutandi, quale feudum INFORME vocant: vel tanquam modus transferendi feudum, quod jam anteà tale fuit, ab uno Vasallo in alium. Ultraq; consideratio ad doctrinam juris feudalis pertinet.

### TH. II.

Prior præscriptionis species iterum duplicem respectum involvit. Aut enim acquiro in re alterius allodiali dominium directum & sic dimidium proprietatis ipsi detraho, quippe quam anteà integrum habebat: aut dominium utile mihi accedit, id est, & dimidia proprietas & jus utendi, quorum neutrum alias ad me spectabat. Et sic postquam utroque casu divisa est proprietas, res allodialis novam qualitatem feudalem induit.

### TH. III.

Requiritur ante omnia possessio, sine qua nulla præscriptio concipi potest. Et talis quidem, ut habeam intentio-

tentionem, rem *tanquam feudalem* mihi habendi. Cum autem hanc intentionem, ut internum quid, nemo hariolari possit; factum aliquod externum accedere debet, quod animum possidentis declareret.

## TH. IV.

Ita, qui dominium directum præscribere intendit, servitia, renovationem investituræ, & reliqua, ad quæ Vasalli alias tenentur, à possessore exigit. Et é contrario, qui utile dominium vult acquirere, servitia offert & ad reliqua præstanda se promptum paratumque esse testatur, v. 2. F. 26. §. si quis.

## TH. V.

Quod si verò priori casu prætensus novus Vasallus servitia deneget & investituræ renovationem mutato e. g. domino prætenso petere recusat: posteriori autem dominus oblata servitia acceptare nolit, ex causa adjecta, quod offerens non sit Vasallus; præscriptio *interrupta* esse censetur.

## TH. VI.

De *bona fide* quidem Leges Longobardicæ, quantum nobis constat, nihil disponunt. Interim tamen eandem juxta juris Canonici dispositionem in c. fin. X. de *præscript.* & in *præscriptione* feudali necessariam esse persuasi sumus. Malitiis enim hominum res alienas scienter sibi arrogantium nullibi est indulgendum. Quamvis communis præsumtio bonitatis in dubio hic quoq; pro possessore militet.

## TH. VII.

De *titulo* anceps est quæstio eaque communiter à D. obscurè proposita. Unde ita tenendum. Titulus hic nihil aliud est, quam præcedens conventio sive contractus, vi cuius dominium rei, sive plenum illud sit, sive minus plenum, in nos transfertur. Constat autem contractus duplicitate perfici posse & consensu expresso, & tacito. Jam si quæ-

## DISPUTATIO V.

Si quæras, an in præscriptione expressa conventio, id est uno verbo, investitura requiratur? sine dubio negative respondendum erit, quia tunc nulla plane præscriptione opus esset. Quod si autem eò tendas, annon tacitus alterius consensus & sic tacita conventio adesse debeat? affirmativè respondeo. Quò etiam recidit, quod vulgò dicunt, *in feudis patientiam esse loco tituli ex textu 2. F. 33. Struv. S.I.F.c.8. aphor. 12.n.ult. & scientiam domini requiri, v. Exc. Dn. Joh. Sam. Stryk in addit. ad Anton. disp. feud. 5. th. 3. lit. 9.*

## TH. IX.

Quod attinet ad *res*, quæ præscribuntur, nihil novi hic statuendum, sed ex *præced. disp.* solùm subsumendum & inferendum erit: *quæcunque res non potest per expressam investituram in aliquem transferri, ea nec potest acquiri per investituram tacitam*, id est præscriptionem. Unde exulant res commercio privatorum exemptæ & vitio reali, e. g. furti vel violentiæ, affectæ.

## TH. IX.

Debet autem possesio, de qua diximus *thes. 3. § 4.* continuari per *tempus 30 annorum*, idque sine distinctione, an res sit mobilis, an immobilis, quia jus feudale nullam differentiam hac parte constituit, quemadmodum & alias omnes actiones reales, personales & ex delicto provenientes, ex dispositione hujus juris 30 annis indistinctè præscribuntur, prout latè declarat Illustr. Dn. Stryk *de investig. action. Sect. 3. Membr. 3. Axiom. 5. add. Vultejus de feudis c. 9. n. 5.* Exceptio est quoad *bona ecclesiæ & regalia*, quæ tacentे jure feudali ex jure communi æstimantur, Dn. Maturius pos. *jur. feud. Dec. 7. pos. 10.*

## TH. X.

Currunt illi 30. anni ab eo tempore, ubi quis rem a-

A 3

nimō

nimo eam in feudum habendi primum possidere cœpit. Unde dissentimus a Rosenthalio *de feud. c. 6. Concl. 77. num. 2. & 3.* Ferrar. Montan. *lib. 3. feud. c. 5. §. ubi monendi aliisque citatis ab Antonio Disp. feud. 5. tb. 3. lit. g.* qui præscriptionem demum à die præstiti servitii (*v. suprà thes 4.*) inchoandam esse autumant. Sed minus rectè. Exhibitio enim servitiorum non est ipsa possessio, sed tantum ejusdem declaratio. Hæc autem & intuitu temporis præteriti fieri potest. Id est, testatur vasallus eo ipso, dum servitia præstat, se hactenus animo Vasalli rem possedisse. Non obstat textus *2. F. 26 §. si quis.* Contextus enim clare evincit, ejus sensum non esse, quod servitium *ante triginta annos* exhibitum esse debeat; sed quod sufficiat, modò *durante illo 30. annorum spatio* exhibeat.

## TH. XI.

Operosi admodum hic sunt DD. in enodanda quæstiōne: *an feudum per præscriptionem acquisitum sit feudum proprium, annon?* Quemadmodum autem illa parum in recessu habet, cum etsi poneremus, feudum esse improprium, tamen cetera naturalia omnia manerent salva, *v. Disp. 2. tb. 48. 49.* Ita etiam illi, qui improprietatem adesse propugnant, inter quos Wurmserus *de feud. impropr. class. 3. sect. 2.* nullo solido fundamento nituntur. Nullibi enim in jure feudali investitura expressa ad naturalia feudi referatur, quin potius contrarium haud difficulter evincitur ex *textu 2. F. 33. verbis: feudum acquiri investitura, successione, vel eo, quod habeatur pro investitura.* Argumenta dissidentium straminea refellit Struv. *c. 8. aph. 12. n. 1.*

## TH. XII.

Sequitur præscriptionis species altera, quam indicavimus *thes. 1.* & quæ feudum non de novo constituit, sed ab uno Vasallo in alium transfert. Hæc itidem spatium

30. an-

## DISPUTATIO V.

30 annorum requirit, ob generalitatem juris feudalis, de qua in *thes. 9.* diximus.

### TH. XIII.

Titulum tamen hic expressum requirimus, ex sequenti ratione. In præscriptione, quæ feudum de novo constituit, Dominus per acceptationem servitorum (*v. thes. 4.*) satis declarabat consensum suum, qui proinde sufficiebat, *v. thes. 7.* tale autem factum hic non deprehenditur. Unde licet thesin nostram ex nullo forsan juris feudalis textu probare possimus; obtinebit tamen & hic illud interpretandi principium: *Ubi deficit legis ratiō, ibi quoque cessat e-jus dispositio.* *v. Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. II. qu. 13.*

### TH. XIV.

Currit & nocet hæc præscriptio ei, cui in præsenti utile dominium competit. Non ergò agnatis, qui e. g. in secunda linea sunt constituti, nisi ab eo tempore, ubi linea prima prorsus defecit, & jus præsens succedendi ipsis obvenit. Antea enim non fuerunt negligentes & tamen in præscriptione principaliter negligentia hominum puniri solet.

### TH. XV.

Ex eadem ratione agnatis in tertia linea constitutis præscriptionis terminus demum ab eo tempore currit, quo linea secunda extincta fuit, & sic porrò. Idem obtinet intuitu domini, quippe qui præscribentem illum, licet tempus præscriptionis integrum elapsum esset, pro vasallo propterea agnoscere non tenetur, nisi vel verbis, vel factis contrarium declaraverit, e. g. servitia acceptando. Tunc enim personam novi hujus Vasalli approbasse censetur *v. Joh. Baptista Caccialup. Observ. feud. 15. Textus 2. F. 40. §. præterea 5 2. F. 55. pr.* qui obstat evidenter, idem Caccialupus *loc. cit. de longi temporis præscriptione 10. vel 20. annorum explicat*, cum quo præter alios etiam facit Dion.

Gotho-

Gothofred. *ad d.d. text.* Verum illa explicatio nimis frigida videtur, cum jus feudale præscriptionem ejusmodi planè ignoret, *v. tbes. 9.* Commodior ergo erit hæc, ut citatos textus de eo casu intelligamus, si dominus nec verbis, nec factis præscribentem pro Vasallo agnovit, quod scilicet tunc nulla contra eum præscriptio currat.

## TH. XVI.

Successio feudalis (de qua extat erudita Dn. Schilteri *Commentatio de natura successionsis feudalis in calce corporis juris feudalis Alemanni*) est solum *legitima sive ab intestato*, non *pactitia*, nec *testamentaria*, *I. F. 8, pr.* Duæ enim posteriores involvunt speciem alienationis, quæ tamen, ut suo loco dicemus, vasallo prorsus denegatur.

## TH. XVII.

Hoc tamen facile patet, pacta ejusmodi & testamentaria valida esse, si Dominus, & in feudis antiquis Agnati, in eadem consenserint. Per horum enim consensum omnis alienatio valida efficitur; ergo & hæc, per argumentum ab universalis ad particulare deductum.

## TH. XVIII.

Procedunt dicta in feudis propriis. Aliud interdum in impropriis. Dico *interdum*, ne de omnibus feudis impropriis me locutum esse existimies. In omnibus enim neutquam procedit, sed tunc saltem, si per regulas justæ interpretationis id ex tenore primæ investituræ deduci possit, quod procedit in feudo merè hereditario, non autem e. g. in franco, fœminino, &c, uno enim ex naturalibus mutato, non statim & reliqua mutata censentur, *v. Disp. 2. tb. 48.* Id est, admissis fœminis non statim & heredes testamentarii admissi fuerunt.

## TH. XIX.

Ceterum in successione ab intestato in bona allodia ·  
lia

## DISPUTATIO V.

9

lia tres quidem classes constitui solent, *descendentium, adscendentium & collateralium*; verum hoc in successione feudali eodem modo non procedit. Res per collationem utriusque hujus successionis clarè patebit.

## TH. XX.

In allodialibus & masculi & fœminæ succedunt ex descendentibus. Ad tributa enim, quæ allodialium intuitu solvuntur, & hæ & illi æquè sunt habiles. At in feudalibus soli succedunt masculi *i. F. 8.* Fœminæ enim ad servitia militaria à Vasallis præstanda neutiquam sunt aptæ. Narrantur equidem multa de Amazonibus earumque expeditiōnibus militaribus; sed multi adhuc dubitant de hujus facti veritate v. Exc Dn. Cellarius *in thes. Fabr. Voc. Amazones.* & licet illa supponeretur, paucissimæ tamē fœminæ sunt Amazones.

## TH. XXI.

Eadem ad servitia militaria inhabilitas *mutos & surdos, cœcos, claudos, furiosos, morbo sōntico laborantes, clericos & similes* à successione feudali excludit, qui omnes tamen in allodialibus admittuntur, *v. 2. F. 36.* ubi posterior opinio analogiæ juris feudalis conveniens præferenda. Blas. Michalor. *tr. de cœc. surd. & mut. c. 66. n. 4.*

## TH. XXII.

Sed quid si ejusmodi inhabilitas ex postfacto demum superveniat, annon Vasallus possessionem feudi jam adeptam iterum dimittere tenebitur? Negant hoc multi, inter quos Struvius *c. 9. aph 10. n. 5.* cum allegato Rosenthalio & Carpzovio, nec non Antonius *Disp. feud. 6. tb. 10. lit. e.* Nobis autem juxta principia juris Longobardici affirmativa verior videtur. Præterquam enim, quod Vir Excell. Dn. Joh. Sam. Stryk *in addit. ad d. l. Anton.* ex textu *i. F. 6. §. 2. & 2. F. 36.* ibi: *retinere non posse*, jam contrarium ostendebit: illud quoque ex principiis communibus affirmativam

B

juvat,

juvat, quod quando aliquis ad faciendum est obligatus, (qualis est Vasallus,) casus noceat facienti, Illustr. Dn. Stryk de invest. act. sect. i. Membr. 6. §. 51.

## TH. XXIII.

Non obstat ratio Antonii loc. cit. lit. f. dicentis, contrariam sententiam æquiorem esse & benigniorem, cum & alias conjux conjugis nævos & vitia tolerare potius & moderate ferre, quam ob ea ad divortium temere proclaimare debeat; A contractu enim matrimonii, qui ex dispositione divina indissolubilis, ad contractum feudalem non valet consequentia. Ea autem, quæ affert Struvius loc. cit. licet aliquis sit inhabilis ad succedendum in feudo, eum tamen ex causa post acquisitum feudum casu superveniente illud non amittere, principium apertè petunt atque sic nihil probant.

## TH. XXIV.

Notanter autem dixi in thes. 22. juxta principia juris Longobardici. Moribus enim nostris ubi Vasalli in propria persona servitia non præstant, sed eqvum instructum mittunt, bringen ein Ritter-Pferd auff/ aliud dicendum videtur, ob cessantem rationem juris Longobardici.

## TH. XXV.

Ergò etiam, objicis, ex hypothesi tua juxta principia juris Longobardici, impuberes & minorennes in feudo succedere non poterunt, quia ad servitia sunt inhabiles; & nihilominus tamen contrarium disponitur 2. F. 26. §. si quis decesserit. Respondeo, distinguendum esse inter ea impedimenta, quæ omnibus omnino hominibus accidunt & sic à domino prævideri potuerunt, simul tamen temporalia sunt: & inter illa, quæ ex accidenti quibusdam saltem obtингunt. Circa priora dispensasse censetur Dominus, non autem circa posteriora, unde ab illis ad hæc non valet consequentia.

## TH. XXVI.

## TH. XXVI.

Successio descendantium eodem modo se hic habet,  
ut de jure civili, ex fundamento supposito in *Disp. I. thes. 22.*

## TH. XXVII.

Non autem sufficit, ut quis sit masculus, sed requiri-  
tur etiam *legitima nativitas*, qualis etiam deprehenditur in  
iis, qui ex personis desponsatis, Struv. c. 9. apb. 3. n. 13. & mul-  
tò magis, qui secundo nuptiarum die sunt nati, wenn Hoch-  
zeit und Kindtaufe zugleich ist. Ad benedictionem enim sacer-  
dotalem non respicit jus feudale, sed solum ad consensum.

## TH. XXIX.

Quod si ergò illegitima nativitas excludit, multò ma-  
gis exclusio tunc procedet, si planè nulla adest nativitas,  
ut in filiis *adoptivis*, 2. F. 26. §. *Adoptivus*, conf. l. 23. ff. de *a-*  
*dopt.* ibi: *adoptio enim non jus sanguinis.* Filii enim ado-  
ptivi possunt quidem esse *Lehns-Erben*/ id est, habiles ad ser-  
vitia, sed non sunt *Leibs-Lehns-Erben*.

## TH. XXIX.

Filios per subsequens matrimonium legitimatos non  
solum Saxonica, sed & plurimarum aliarum provinciarum  
praxis admittit, quamvis alias DD. circa explicationem tex-  
tus 2. F. 26. §. *Naturales* valde dissentiant, v. Dn. Beyer *pos.*  
*jur. feud. c. 7. pos. 69. seqq.*

## TH. XXX.

Contra legitimatio per Rescriptum Principis facta jus  
succedendi non tribuit. Nec enim Princeps legitimans  
domino feudi directo & agnatis præjudicare potest. Ali-  
ud ergò, si tale præjudicium cesseret, id est, non adessent a-  
gnati & Princeps Domini directi personam simul sustineret.

## TH. XXXI.

Ceterum sicut ipsa fœmina: ita quoque ejus filii à  
successione feudali excluduntur, 2. F. II. nemo enim plus

juris in alterum transmittere potest, quam ipse habet.

## TH. XXXII.

Nec quoad fœminas in feudis Ecclesiasticis regulariter exceptionem faciendam esse, jam diximus *Disp. 2. tb. 25.* occasione brocardici: Krumstab schleust niemand aus. Adducunt quidem dissentientes Cacheranus, Menochius, alii que allegati Anton. *Disp. feud. 6. tb. 4. lit. d. ecclesias manu-ali auxilio & armato non indigere, sed lachrymis sese tueri & jejuniis, quibus fœminarum sedulitate & aptitudine se strenue adjuvari posse putent*, quò pertinet vulgatum illud:

*Preces & lachrymæ sunt arma Ecclesiae:*

Verùm nescio, an illa arma Rationi Status nostrarum Ecclesiarum in statu florentissimo (præfiscini!) constitutum adhuc convenient? Nescio, an ex lachrymis & jejuniis nostrarum fœminarum Ecclesiis magnum auxilium sit accessum?

## TH. XXXIII.

*Ascendentes in casu defientium descendantium in alodialibus quidem succedunt, non solum paterni, sed & materni; ast in feudis plane non admittuntur, 2. F. 50. scilicet juxta ordinariam feudorum naturam, quæ Vasallo & ejus descendantibus saltem conceduntur. Interim non diffundum est, posse dominum per pacta specialia etiam ascendentes ad successionem quandoque admittere, quò spectant casus, qui à D.D. hic communiter afferri solent. Sed talia non pertinent ad regulam juris feudalis, quæ in systematicis juris feudalis tradi debet; verum ex tenore pactorum specialium dijudicanda sunt.*

## TH. XXXIV.

*Collaterales ultimi possessoris succedunt in feudis, modo à primo acquirente originem trahant in linea descende 2. F. 11. Ubi iterum deprehenditur differentia intu-*

itu

itu bonorum allodialium, ad quæ omnis admittitur, sive à primo acquirente descendat, sive non, modo cognationem & gradus proximitatem docere possit.

## TH. XXXV.

Inutilis autem hic est subtilitas Vulteji *de feud. c. 9. num. 102.* contendentis, omnem in feudis successionem esse descendantium, nullam collateralium. Hoc enim, si quid in recessu haberet, eodem modo & de jure civili procederet, ubi omnes succedentes pariter à communi totius cognationis stipite descendunt. Interim advertere debuissest Vultejus, rationem denominandi diversa heredum genera desumendam esse à *relatione personarum succendentium ad ultimum possessorem*, à quo sane nec in feudalibus, nec in allodialibus, omnes in linea descendente proveniunt. Ita verò evenit, si relicta re in vocabulis magna mysteria aut argutias quærimus. v. Eyben. *Elect. jur. feud. c. 7. §. 8. n. 15. & §. 10. & 12.* Schilter *Comm. de natur. success. feud. c. 3. §. 8.*

## TH. XXXVI.

Jure Civili fratres Germani eorumque liberi ob vinculi duplicitatem omnibus reliquis collateralibus præferruntur, *Nov. 118. c. 3.* Aliud jure feudali, ubi ad solum patrem respicitur & sic duplicitas vinculi non consideratur. Unde hic Consangvineus cum Germano simul succedit. Illustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 16. qu. 11.*

## TH. XXXVII.

Interim tamen, quemadmodum jure civili fratribus defunctorum liberi jure repræsentationis unà cum fratribus ad successionem admittuntur: ita quoque idem jus in successione feudali ipsis competit, per textum 2. *F. II. §. bis verò deficientibus.*

Quoad reliquos collaterales jus civile solam gradus proximitatem respicit; ast in jure feudali haec communiter a DD. tradi solet regula: *Primo de linea esse laborandum, & postea demum de gradu*, Zoesius de feudis c. 10. §. 40. unde est, quod dicunt, in feudis obtinere successionem linealem.

## TH. XXXIX.

Nititur equidem Dn. Schilter in *Comm. de nat. success. feud. c. 3.* communem hanc de successione lineali opinionem tanquam erroneam & falsam removere, unde §. 6. dicit: *successionis speciem, quam Lineam vocant, tam esse incognitam juri feudali communi, quam juri civili Romanorum, & fatendum quoque est, exemplum illud, quod affertur 2. F. 50.* eam successionis speciem parum illustrare, cum personæ ibi memoratae ex sola gradus proximitate succedant; Interim tamen non statim sequi putamus, totam successionem linealem ideo inter non-entia esse referendam, quia exemplum a Compilatore adductum ineptitudine laborat.

## TH. XL.

Ipsa enim ratio & analogia juris feudalis evincit, successionem esse debere linealem. Ad cuius assertionis meliorem declarationem sequentia ex Struvii *S. I. F. c. 9. aph 7. n. 4 & s.* adducemus, cum neminem deprehenderimus, qui rem melius & clarius proposuerit.

## TH. XLI.

Primò supponendum est, lineam esse collectionem personarum ab eodem stipite descendientium. Hunc autem stipitem vel omnibus successoribus feudalibus absolute esse communem, qui vocatur *primus acquirens*: vel quibusdam saltem, secundum quem in plures lineas speciales distingvuntur descendentes a primo acquirente: & juxta hunc

hunc stipitem communem subordinatum proximiorem vel remotiorem, esse proximiorem vel remotiorem lineam. Ita linea prima est eorum, qui veniunt à meo patre: secunda istorum, qui ab Avo: tertia eorum, qui a proavo descendunt. Et sic porro.

## TH. XLII.

Deinde supponendum est, omnem investituram feudi & novam & renovatam ita fieri, ut quis ejusque descendentes de feudo investiantur, & simul, quamdiu hi adsunt, nemo aliis ad successionem admittatur, v. tb. 34. Quod si ergo ultimo investitus moriatur nullis descendantibus relictis, necesse est, ut recurramus ad proximè præcedentem investituram ejus, a quo feudum in defunetuni est devolutum, juxta quam investituram admittendi sunt non ipsius collaterales, ut frater, sed descendentes. Quod si vero ex linea ejus, qui proximè est investitus, nulli existant descendentes, ulterius ad ulteriorem investituram est recurrendum idque eosque dum perveniamus ad primum acquirentem in quo subsisti oportet. Cum enim omnes ab eo proveniant, ejus respectu nullæ dantur diversæ lineæ, adeoque omnes lineæ hoc casu æqualiter admittuntur, 2. F. 50. in fin. Hæc Struvius, qui præterea casu aliquo perspicue proposito rem adhuc clarius illustrat.

## TH. XLIII.

Illud deniq; ex jure Saxonico notandum, quod, cum juxta ejus dispositionem jus successionis collateralium non ex jure sanguinis, sed simultanea investitura descendat, v. Disp. 4. thes. 16. per consequens etiam nec ad linearum, nec ad graduum proximitatem ibi respiciatur, sed omnes simul admittantur, qui simultaneæ investituræ jure gaudent. Additamen solet clausula in literis investituræ nach rechter Sipp-Zahl/ quæ jus succedendi ad normam juris feudalis communis reducit, v. Carpzov. P. 3. C. 29. Def. II. § 12.

## TH. XLIV.

## TH. XLIV.

Possemus multa adhuc adjicere, quomodo per varia pacta jus succedendi in feudis non solum intuitu collateralium, sed ipsorum etiam descendantium alterari & mutari possit, quo spectant præcipue *matrimonia ad morganaticam* contracta, quorum illustre exemplum præbuit matrimonium Caroli Ludovici, Electoris Palatini, Principis fere incomparabilis, cum Loysa Degenfeldia initum. Sed quoniam ejusmodi pacta infinitis modis variari & propterea omnia recenseri neutiquam possunt; iisdem quoque nos in præsenti non detinebimus.

## TH. XLV.

Hoc ergo addidisse sufficiat, matrimonia ad morganaticam nihil injusti in se continere, quoniam ex iis, quæ de iure divino ad matrimonia requiruntur, ne minimum quidem mutatur. Neque etiam interest, an sinistræ, an dextræ manui eiusmodi uxor iungatur, quia præcedentia pacta & hic dant legem contractui. Confer. de cetero Henric. Salmuth *de matrim. Principis cum virg. nobili,*  
Linck *de Matrimonio Lege Salica contracto, aliquique.*



COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO VI  
sistens theses  
De  
**EFFECTIBUS**  
**EX DOMINIO DIRE-**  
**CTO PROFUENTIBUS,**

RECTOR<sup>quas</sup> MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WIL-**  
**HELMO,**

REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

P R Ä S I D E

**JACOBO FRIDER. LUDOVICI,**

Jur. Licent. & Prof. Publ. Extraord.

Eruditorum examini submittit

**GEORGIUS CAROLUS PFLUGK,**


Eques Misnicus,

Ad d. XX. Augusti MDCCI. horis locoque consuetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.





### TH. I.

**N**atura rerum feudalium, ut ex præcedentibus patet, à natura rerum allodialium in eo est distincta, quod in hisce proprietas regulariter indivisim & sic plenum Dominium ad Dominum spectet, in illis autem eadem divisa reperiatur, & ita quidem, ut is, ad quem dimidia proprietas sola pertinet, *Dominus directus*; alter verò, qui reliquam dimidiā cum jure utendi conjunctam habet, *Dominus utilis* vocetur.

### TH. II.

Ex quo statim apparet intolerabilis plurimorum Doctorum juris feudalis & civilis, etiam modernorum, error dicam? an opinio, qui divisionem Dominii tradentes, *Dominium plenum* esse dicunt, quando *cum proprietate ususfructus conjunctus*: Minus autem *plenum* & in specie *directum*, quando quis *solum proprietatem*: Utile autem, quando quis *solum babet usumfructum*.

### TH. III.

Omnia hic sunt confusa & talia, quæ juris cultores non erudiunt, sed principia totam dominii materiam subvertentia iisdem instillant. Unde necessitatem quam maxime flagitare censemus, ut liquidò ostendatur, non solum in quo adductæ definitiones à vero abeant, sed simul etiam, quomodo è contrario eadem accurate formari debeant.

### TH. IV.

Repetendum ante omnia est ex *disp. 3. tbes. 3. dominium*  
A 2

nium resolvi in duas partes, *proprietatem*, quæ pars *essentialis*: & *jus utendi*, quæ *accidentalis* appellatur. Unde inferimus nunc, quod in definitione dominii pleni non ad partem accidentalem, sed essentialēm primariō sit respiciendū. Accidens enim adesse vel abesse potest sine subjecti interitu, vel ipsis libellis Logicis nostris hoc inculcantibus.

## TH. V.

Neque ergò rectè dicebatur, dominium plenum esse, quando cum proprietate ususfructus est conjunctus. Potest enim ususfructus vel restrictus, vel ad tempus proprietario plane ademtus esse, ita tamen, ut hic nihilominus plenum dominium retineat.

## TH. VI.

Sic omnes, qui sub tutela & cura vivunt: omnes, quibus res aliqua sub certo modo vel donata, vel legata: illa re pro lubitu uti nequeunt, sed usum habent restrictum; quis vero dicere vellet, eos non habere plenum Dominium? Sciremus enim libenter, ad quemnam altera dominii pars hisce casibus transiisset. Tutoribus & Curatoribus Dominium aliquod nullibi in jure tribuitur, sed versari dicuntur circa rem alienam. Et quoties res sub modo donatur, nec donans partem dominii sibi reservat, nec tertio cuidam illam concedit. Nulla ergo dominii divisio ex hac restrictione oritur.

## TH. VII.

Ita, quando rem meam alteri commodo, usus eiusdem ad tempus mihi plane adimitur, & nihilominus tamen plenum dominium retineo, quis enim affereret, commodatarium fieri Dominum utilem? Ita, quando testator Cajo proprietatem ædium, Titio autem eaurundem usumfructum legat: Cajo jus utendi, quamdiu  
Titius

DISPUTATIO VI. §

Titius vivit, planè est ademtum, & nihilominus tamen  
Cajus plenum dominium retinet.

TH. VIII.

Quod autem retineat Cajus plenum dominium, exinde facile probamus, quia Titius de eo nihil participat, & hoc iterum exinde, quia Titio tanquam usufructuario rei vindicatio, quæ est actio ex Dominio profluens, non competit, v. Frantzkius *de Laudem. c. 14. num. 32.* Et D D. ad tit. ff. de rei vindic: Praeclarè Paulus, ICtus, in l. 25. ff. de V. S. Rectè, inquit, dicimus eum fundum totum nostrum esse, etiam cum ususfructus alienus est: quia ususfructus non Domini pars, sed servitutis sit: ut via & iter.

TH. IX.

Quod si enim aliqua dominii pars ad usufructua-  
rium transiret; sine dubio utilis rei vindicatio ei con-  
cedenda esset, quam concedunt D D. Emphytevtica-  
rio, Vasallo, superficiario, tanquam dominis utilibus, v.  
2. F. 8. Lauterbach. Comp. jur. ad tit. ff. de R. V. Ast talem  
partem ad eum transire, nullæ Leges, sed contrarium  
potius disertè affirmant.

TH. X.

Quo supposito jam ulterius statim apparet, reli-  
quas Domini & directi & utilis descriptiones, supra th.  
II. recensitas, eadem facilitate laborare. Scilicet domi-  
nium directum descriebatur, quando quis solam habet pro-  
prietatem, eamque integrum, ut ex opposita dominii uti-  
tis definitione patescit. Ast dominium ita definitum  
non esse speciem minus pleni, sed plenum potius, ha-  
ctenus evictum est.

TH. XI.

Dominium utile descriebatur, quando quis solum habet

A 3

usum-

*usumfructum.* Ast usumfructum non Dominii partem, sed servitutis esse adstruximus cum ICto Paulo in *thes. IX.* Dominium etenim in *re propria* competit. Sed ususfructus describitur, quod sit jus utendi fruendi *rebus alienis*, in princ. *J. de usufruct.* Annon ergo & rerum alienarum dabitur dominium? Non credimus.

## TH. XII.

Adde, quod in enumeratione vulgata quinque specierum juris in *re Dominium & servitus* tanquam duæ species à se invicem plane distinctæ recenseantur. An non ergo sub-species servitutis, qualis est ususfructus, sub-species Dominii esse, sive, ut clarius dicamus, an non inter subspecies bestiarum etiam homo connumeri poterit?

## TH. XIII.

Videmus quidem, provocare nonnullos ad l. 4. ff. *de aliment. vel cibar. legat.* & ex hoc textu probare velle, quod sub nomine ususfructus dominium minus plenum comprehendatur, sed nihil mutamus. Casus in dicta lege talis est: Scripserat testator, *Libertis libertasque meis, quos vivens in testamento & codicillis manumisi, vel manumittam, dari volo mea prædia, que in Chio insula habeo: ad hoc ut quæcunque vivente me acceperint, constituantur & cibarii & vestiarii nomine.* Quærebatur: quamnam hæc verba habeant significationem & an ususfructus, an proprietas prædiorum relicta sit? Respondebat Modestinus, ipsa prædia esse libertis relicta, *ut pleno dominio hæc habeant & non per solum usumfructum.*

## TH. XIV.

Exinde ita quidem inferre volunt: plenum Dominiū & ususfructus sibi hic opponuntur, & ergo ususfructus necessario alteram Dominii speciem, utile scilicet Domini-

## DISPUTATIO VI.

minium, constituit. Optima consequentia, sed cui nihil  
præter connexionem deest. Hoc meliore colore for-  
san exinde deduceretur, ergo ususfructus est Domi-  
nium minus plenum. Sed tamen nec hic juris fun-  
damentum adest. Tunc enim ususfructus simul do-  
minium directum & utile sub se comprehendere debe-  
ret, quod absurdum.

## TH. XV.

Hinc ut tandem videamus, quænam sit mens Mo-  
destini, ita tenendum. Modestinus interrogabatur,  
an proprietas sive plenum dominium, an ususfructus  
saltem legatus esset? Negabat ultimum, affirmabat  
prius, sed non dicebat, quod ususfructus fit dominium  
utile, id quod etiam ex ipsius verbis nullo modo col-  
ligi potest. Sed dicas: cur non opposuit usumfructum  
Dominio in genere; Respondemus, quia de dominio  
in genere non consulebatur, alias & hoc fecisset.

## TH. XVI.

Quod si itaque genuinam utriusque & pleni & in-  
nus pleni Dominii definitionem desideras, juxta *thes. I.*  
hanc cape. *Dominium plenum* est, quando quis propri-  
etatem rei alicujus ita possidet, ut alter de eadem ni-  
hil participet. An usumfructum simul habeat, an-  
non, perinde est.

## TH. XVII.

*Dominium minus plenum* è contrario juxta eand. *tb. I.*  
definitur, ubi proprietas inter duos est divisa, & ita qui-  
dem, ut unus proprietatem dimidiā solus possideat,  
cui attribuitur *dominium directum*: alter vero reliquam  
proprietatis partem cum jure utendi conjunctam ha-  
bet, quod *dominium utile* appellatur. Ususfructus qui-  
dem ab hoc ultimo separatus esse nequit, sed tamen  
ab hoc

ab hoc dominium non denominatur, cum nihil aliud sit, quam dimidiæ proprietatis, quæ domino utili competit, effectus.

## TH. XIIIX.

Diximus in *thes. I.* bonorum allodialium hanc esse naturam, ut regulariter plenum in iis dominium nobis competit. Sed regulariter saltem. Dantur enim bona quoque *emphytevticaria & superficiaria*, in quibus dominium pariter, ut in feudalibus, divisum reperitur.

## TH. XIX.

Ne tamen putas, *emphytevticaria & superficiaria* eapropter cum feudalibus prorsus convenire & divisionem dominii in illis allodialibus eandem habere indelem, quæ in feudalibus reperitur. Jam enim supra *Disput. II. thes. 9. § 44.* ostendimus & deinde adhuc dicemus, partem essentialē feudi esse, ut Vasallus Domino directo intuitu feudi concessi fidelitatem p̄fstat, qualis nec in *emphytevsi*, nec in *superficie* exigitur.

## TH. XX.

Nec ergo in p̄fensi solliciti erimus, quidnam juris competit illi, ad quem dominium directum in *emphytevticariis & superficiariis* bonis spectat, sic enim extra oleas vagaremur; sed indicabimus saltem, quidnam juris in feudalibus Dominus vi dominii directi sibi competentis exercere posse, ne alias existimes, titulum dominii directi nudum esse sine mente & efficacia sonum.

## TH. XXI.

Quamvis vero affirmari nequeat, quod Dominus in persona Vasalli dominium directum habeat, unde accurate loquendo illud tantum in re feudalí ipsi competit; interim tamen hoc extra dubium quoque est, perso-

personam vasalli domino directo propter acceptam rem feudalem obligatam esse. Unde absurdum non erimus, licet dicamus, Dominii directi effectus sese exserere partim in persona Vasalli, partim in ipsa re feudal.

## TH. XXII.

Persona Vasalli Domino obstringitur ad fidelitatem, *v. 2. F. 7.* jurat enim Vasallus, daß er seinem Lehnherren treu/hold und gewärtig/auch nicht in dem Rath/vielweniger bey der That seyn wolle/da wieder denselben gehandelt oder gerathschlaget würde: Er wolle dessen frommen/Ehre und Nutz fördern/Schaden warnen und wenden/nach seinem besten Vermögen/2c. quamvis hæc formalia pro diversitate locorum sæpius variant.

## TH. XXIII.

Obligatur equidem Dominus Vasallo vicissim ad fidelitatem, *2. F. 6. in fin.* unde vulgatum illud: Treuer Herr/treuer Knecht/ add. *2.F.26. vers. Domino.* Verum hoc pro natura societatis inæqualis, cuiusmodi est inter Dominum & Vasallum, intelligi debet. Unde optimè Illustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 2. quv. 22.* Vasallum fidem obsequii, dominum vero fidem defensionis præstare dicit. Servitorum ergo præstatio à domino exigi nequit, quemadmodum & alias quidem dominus famulo suo ad mercedeni solvendam, non autem ad purgandos calceos vicissim est obstrictus.

## TH. XXIV.

Ex fidelitate, quam Vasallus Domino præstat, reverentie exhibitio simul profluit, quam diversis casibus illustrare solent DD. Potiores sunt, quod (1) Vasallus Dominum non possit accusare, *2.F.33. §. similiter.* Quamvis enim publice intersit, delicta revelari; Vasallo tamen cessante, non deficit alter, qui accusatoris vice

B

fungi

fungi possit. Quod tamen recte limitant, nisi suam, suorum, Principis aut Reip. injuriam persequatur, v. Gothofred. *in not. add. l.*

## TH. XXV.

Pertinet huc (2) quod juramentum calumniæ Vasallus à Domino exigere nequeat, & testimonium contra eum in causa criminali (sponte scilicet) dicere non debeat, 2. F. 33. §. 1. Sed quid in causa civili? Nec in hac, si modica sit, eum hoc facere debere habetur *loc. jam cit.* Quamvis verò alias Cujacii aliorumque conciliaciones in L. L. Romanis non admittamus, qui, ubi antinomia subesse videtur, eam per adjectionem vel detractionem particulæ *non* tollendam esse svadent; hic tamen eidem Cujacio facile assentimus, & pro *modica* legendum esse existimamus *non modica*. Alias enim nullus dicti textus sensus ostendit posset. Quod si verò particula negativa interferitur, textus cum communi D. D. sententia convenit, qui statuunt, causas civiles prægnantes, id est, non modicas, criminalibus æquiparandas esse.

## TH. XXVI.

Cafus hucusque recensiti in textibus juris feudalis expressi reperiuntur. Addunt tamen adhuc alios, e.g. quod Vasallus actionem famosam contra Dominum instituere, vel eundem in solidum excutere nequeat, sed ipsi, si ob debitum convenitur, competentiæ beneficium concedere debeat, argumento à liberto, si contra Patronum agit, desumto. Sed anne hoc licet Interpretibus? Cur vero non, nam & interpretationem extensivam in jure feudali locum habere adstruximus *Disp. 1. thes. 25.* Regulam, quod odiosa sint restringenda, falsam esse putamus, prout Exc. Dn. Thomasius contra

contra Placcium jam diu ostendit. Non obstat, quod tamen in casu, si de Donatarii, item de liberorum ingratitudine agitur, ultra casus in LL. expressos progredi non liceat; Resp. fit enim hoc ideo, quia Legislator hic interpretationem extensivam expresse prohibuit, quod facere omnino potest, v. l. fin. C. de revoc. don. ibi: *ex his tantummodo causis.* Nov. iij. c. 3. pr. ibi: *ut praeter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere,* (ut adeo miremur, potuisse nonnullos ex. DD. contra tam claram dispositionem diversae sententiae subscribere.) Talis autem prohibitio in jure feudali non reperitur.

## Th. XXIX.

Reliquas ergo actiones, sive sint personales, sive reales, quae famam Domini non suggillant, si scilicet verba in factum concipiuntur, licet instituit Vasallus. Nec enim Dominus reverentiam sibi debitam eo extendere debet, ut jus Vasalli minuat. Imo & Vasallum bona Domini debitoris arrestare posse recte existimat Carpzov. P. i. C. 29. def. 27. v. Rosenthal *de feud.* Conclus. 33. c. 10. Schrader P. 6. c. 7. num. 15. Struv. S. I. 7. c. 11. aph. 3. Veniae impetratio, quam nonnulli veterum Glossatorum fraterculi exigunt, ignorantiam historiae Romanae prodit. Nec enim apud nos unquam obtinuit in jus vocatio Romanorum, privata autoritate suscepta, quae reverentiam in jus votati laedebatur.

## Th. XXIX.

Ex Dominio directo porro profuit, quod Dominus a Vasallo *servitia* exigere posset. Quae regulariter sunt *militaria*, ex indole causae, ob quam ab initio feuda constituebantur, ut nempe Vasallus Dominum defendere.

B 2

Th.

## TH. XXX.

Sunt quoque regulariter *indeterminata* sive *incerta*, arg. 2. F. si. inf. id est, nec ad certum locum, nec ad certum tempus, nec ad certum modum restricta. Nam & peditibus & equitibus in bello ad propugnandam vim hostium ingruentem indigemus. Nec prævideri potest, quo loco & quo tempore forsan necessitas assistentiam Vasalli sit efflagitatura. Moribus tamen Germaniæ eatenus restrictio adest, ut Vasalli servitia equestria solum præstent, unde interdum, si integrum feudum in quatuor partes divisum, saltem à quolibet præstatur ein Pferdefuß.

## TH. XXXI.

Praestare tenetur Vasallus servitia indistincte, nec se excusare poterit sub hoc prætextu, quod de justitia belli dubitet. Pro Domino enim militat præsumtio, v. 2. F. 28. Aliud, si Dominus sit bannitus, tunc enim est hostis patriæ & aperte de injustitia belli constat cit. loc. Sed quid si sit excommunicatus? Nec hoc casu Vasallum ad servitia obstringit *textus alleg.* Sed hic flosculum papisticum subesse credimus, confer quæ diximus Disp. 3. thes. 40. Et falsa sunt, quæ notat Dion. Gothofred. ad d. loc. Vasallum per Domini excommunicationem necessitate fidelitatis solvi.

## TH. XXXII.

Utrum vero Vasallus servitia sponte offerre debat, vel an jussum domini expectare possit, clare deciditur & posterius affirmatur 2. F. 37. §. 1. Vasallus enim non potest hariolari, an in hac illave necessitate Dominus ipsius ope indigeat. Forsan enim & alio modo se defendere potest. Clarior adhuc est *textus* 2. F. 28. §. ad bac, ubi sequens additur exceptio: *Tu tamen scias, quod*

## DISPUTATIO VI.

13

quod si Vasallus sciat Dominum ob sideri vel aliter ei mortem imminere: Et cum potuerit, ei non nuncia verit, vel etiam sine nuncio eum non adjuverit, feudo privabitur. Hic enim necesitas pro Domino interpellat. v. Struv. c. II. apb. 2.

### TH. XXXIII.

Quoad sumtus, quæ in servitia impendenda, distinguunt, an Vasallus in territorio, an extra illud serviat, & hoc casu posteriori Dominum ad suppeditandos illos obstrictum esse dicunt, non priori. Provocant ad textum 2.F.107.v. Kohl *de servit. feud. p.6. n.6. seq.* Sed hic textus illis non patrocinatur, cùm potius indistincte Dominum ad sumtus subministrandos adigat, maximè si extra civitatis sue tentoria Vasallus servitia exhibet, quæ verba sunt ampliativa, non exclusiva. Imo licet pro iis faceret ; capitulum tamen esset extraordinarium & nihil probans, unde nihilominus contraria sententia tanquam æquior præferenda, quam & consuetudine receptam dicunt, v. Anton. *Disp. feud. 7. tb. 6. lit. f.* Carpzov. p.3 c. 28. def. 18: num. ii. Illustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 18. qu. 25.* & de Pomerania in specie Mev. *Cons. 44. num. 59. in f.*

### TH. XXXIV.

Loco Servitorum ordinariæ Dominus pecuniā exigere nequit à Vasallo. Pacta enim dant Legem contractui. Excipiunt casum, nisi necesitas Reip. aliud exigat, & salus Domini melius per pecuniam, quam servitia ipsa promoveri possit. Quæ præstatio pecuniæ tunc *Adoba* dicitur, ab adunare vel adærare, sive æs contribuere: item *Hostenditie*, quasi *Dostendienste/Dost* enim veteribus Germanis idem, quod expeditio v. Matth. de Afflict. *Dec. 252. n. 3.* Dn. Coccejus *pecul. Disp. de Adoba c. 1.* Struv. c. II. apb. 5. n. 4. quamvis alii ita derivent,

B 3

quod

quod hostenditiæ dicantur quasi aus/ vel us den dienst/  
i. e. pecunia, quâ servitium redimitur, v. Freher. In  
comm. ad Constit. Caroli III. Crassi. Loccenius in explicat. voc.  
feud. Sed quid juvat in incertis certitudinem quærere,  
quæ nullius est utilitatis, nisi ut forsan criticæ curio-  
sitati satisfaciat, v. Disp. 2. thes. I.

## TH. XXXV.

Servire tenetur Vasallus contra quemcunque, e-  
tiam contra patrem, si hic dominum injuste offendat.  
Cessat enim tunc obligatio propter delictum patris.

## TH. XXXVI.

Non tamen contra antiquorem dominum, 2. F. 28.  
S. f. huic enim jam ante & eodem quidem vinculo adstri-  
ctus fuit Vasallus. Placet tamen hic limitatio Dn. Titii  
in dem teutschen Lehnrecht c. 14. §. 34. nisi bellum ab anti-  
quiore susceptum notoriè sit injustum. Tunc enim e-  
adem ratio hic militat, qnæ in thes. præc. quoad patrem  
adducta fuit.

## TH. XXXVII.

Sed an contra Imperatorem? Negatur hoc sim-  
pliciter 2. F. 7. Verùm à statu imperii, qui fuit tempore  
Longobardorum, ad statum modernum non valet con-  
sequentia. Unde si Status in juribus & libertate sua tur-  
barentur; etiam contra Imperatorem servitia præstare  
adstringerentur Statuum Vasalli. Conf. Dn. Titius loc.  
cit. §. 35. Kohl de serv. feud. p. 3. n. 35.

## TH. XXXIX.

Quod si de Dominio directo inter plures sit con-  
troversia; illi servitia durante processu præstanda, qui  
est in possessione vel quasi. Possessor enim pro se ha-  
bet præsumptionem justitiae, donec ab adversario con-  
trarium probetur. Si neuter actum possessorum do-  
cere

cere valeat, neuter quoque ad commodum possessio-  
nis provocare poterit, sed res manebit in suspenso us-  
que ad eventum processus, v. Kohl *de serv. feud.* p. 2 n.  
89. 91. Struv. c. II. apb 7. n. 5.

## Th. XXXIX.

Servitia ab ipso Vasallo sunt præstanta. Ideò e-  
nim ejus persona peculiari & arctiori juramenti vin-  
culo obstringitur. Neque ergo Vasallus substitutum  
invito Domino obtrudere potest, quia in hoc vinculum  
illud exulat & per consequens quoque fiducia Domini,  
quam alias erga vasallum fovet. Unde 2. F. 55. §. 1. dici-  
tur, quod substitutus *acceptabilis* mitti debeat, id est, cu-  
jus fidem dominus exploravit eumque adeò lubens  
volens loco ipsius Vasalli acceptat.

## Th. XL.

Præstanta sunt servitia, sive multos, sive raros, si-  
ve plane nullos ex feudo fructus Vasallus perceperit.  
**A Locatione enim conductione ad feudum non valet  
consequentialia.**

## Th. XLI.

Effectus Dominii directi intuitu ipsius rei feudal is  
est, quod Dominus possit rei vindicatione adversus  
quemcunque possessorem uti, qui dominium illud in  
dubium vocat & rem ad se pleno jure spectare præten-  
dit. Nec iste possessor excipere potest, quod domini-  
um utile pertineat ad alium; hæc enim exceptio de  
mero tertii jure esset, adeoque excipienti non profice-  
ret. Rittershus. part. feudal. I. 2. c. 8. qv. 14. Struv. c. 16. apb. 2.  
n. 3. Unde patet, quod si dominus utilis sive Vasalluscum  
Domino directo concurrat in vindicatione, illius po-  
tior sit conditio ob præcedentem infeudationem & do-  
minum utile concessum,

## Th. XLII.

## DISPUTATIO VI.

TH. XLII. Pertinet huc, quod invito domino directo Vasallus rem feudalem non possit alienare, de quo in delictis feudalibus. Unde regula vulgata: *quemlibet rerum suarum esse moderatorem & arbitrum*, in allodialibus quidē, sed non simpliciter in feudalibus procedit.


TH. XLIII. Alius effectus dominii directi est, quod quoties mutatio vel in persona domini ipsius, vel Vasalli contigerit, investitura renovatio à successore vel possessore sit petenda, v. Disp. 4.

TH. XLIV. Adde & hunc, quod in casum commissæ à Vasallo feloniarum, vel extinctæ ipsius lineæ masculinæ, spes certa supersit, dominium utile cum directo iterum consolidandi. Unde Corporibus piis, Ecclesiis, scholis, aliisque non indistinctè concedi solent bona feudalia. Corpora enim illa non moriuntur, nec facile concipi poterit casus, ut feloniarum argui queant. Unde etiam bona ad eadem translata amortizari dicuntur. Habet etenim ecclesia manus mortuas, quæ accipere sciunt, reddere nesciunt. Quo ipso omnis spes consolidationis domino directo auferretur.

TH. XLV. Ad alimenta tamen domino subministranda Vasallum obligatum esse non censemus. Textus 2. F. 55. §. 1. ibi: *vel diuidium redditus feudi unius anni domino non subministraverit*, de eo casu saltem loqui videtur, si Vasallus loco servitorum illos fructus domino persolvit.

TH. XLVI. Nec obstringitur ad debita domini etiam jurata ex-solvenda, 2. F. 26. §. licet, nec etiam ad redimendum dominum, si captus est. Effectus enim plures non sunt effingendi, nisi qui ex verbis vel liquida ratione juris feudalis profluunt, quod hic non obtinet.

TH. XLVII. Ad dotandam filiam domini an aliquid contribuere teneatur Vasallus, anceps apud D.D. est quæstio. Affirmant id ferè omnes, alii quidem ex principiis juris feudalis, alii ex moribus Provinciarum receptis. Sed contra experientiam affirmant. Collecta enim illa, germanicè Fräuleinsteuere etiam ab iis solvit, qui ne glebam quidem feudalium bonorum possident. Ergò potius hæc obligatio ex vinculo subjectionis, quam feudali deducenda.



**COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO VII**  
sistens theses  
De  
**EFFECTIBUS  
EX DOMINIO UTILI  
PROVENIENTIBUS,**  
quas  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ , ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE  
**JACOBO FRIDER. LUDOVICI,**  
Jur. Licent. & Prof. Publ. Extraord.  
Eruditorum examini submittit  
**HENRICUS WITTE, Regiom. Borussus.**  
Ad d. Septemb. MDCCI. horis locoque consuetis.  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr





### TH. I.

**T**ile Dominium Vasallo vi præcedentis contractus feudalis competens descripsimus in Disp. præc. tb. XVII. quod sit, quando quis cum dimidia proprietatis jus utendi sive usumfructum (causalem) conjunctum habet.

### TH. II.

Diximus quoque, usumfructum quidem ab hoc Dominio separari non posse, alias enim non maneret Dominium *utile*; interim tamen illum nihilominus non esse partem ipsius principalem, à qua denominationem capit. Scilicet, omne quidem Dominium *utile* usumfructum illum conjunctum habet, sed non sequitur è contrario, quod omnis, qui usumfructum habet, sit dominus utilis. Si enim sine dimidia proprietatis concipitur, est tantum servitus personalis, v. d. disp. tb. IX. & XI. id est, una ex tribus illis speciebus, quæ enumerauntur communiter & in Pandectis & in institutionibus. Illustrant non parum ea, quæ de natura dominii disseruimus hactenus §. I. I. de usufruct. & l. 4. ff. de usufr. v. Struv. S. I. F. c. 2. aph. 3.

### TH. III.

Ne verò existimes, esse hæc merè theoretica & conceptus speculativos; ostendendum nunc pòrrò à nobis est, dominium *utile* alios plane producere effetus,

## DISPUTATIO VII.

Etus, quām solum usumfructum, quando ad classes servitutum pertinet. Aut, si mavis, plus juris habere dominum utilem, quām nudum usufructuarium.

## TH. IV.

Quæ in *Disp. præc.* enumeravimus, *obligationem* producebant in Vasallo & *jus* intuitu domini, quibus adhuc alia addi possent, v. g. obligatio ad petendam investituram, &c. In præsenti ea recensemus, quæ ad *jura* Vasalli pertinent & ad quæ Vasallo concedenda Dominus *obligatur*.

## TH. V.

Feudum Vasallus à quocunque vindicare potest, 2. F. 8. §. *rei autem*. 2. F. 43. & si cum domino directo concurrit in vindicando, huic præfertur. Usufructuario contra rei vindicatio nunquam conceditur, v. *Disp. præc. tb. IX. & XLI.* De aliis remediis tām petitoriis, quam possessoriis Vasallo competentibus fusè agit Joh. Helvius Sinoldus dictus von Schūß *Colleg. feud. c. 8. p. m. 135. seqq.*

## TH. VI.

Vasallus faciem fundi mutare potest, v. g. vetera ædificia destruendo & nova exstruendo, hortos præparando, &c. modò fundus fiat melior, 2. F. 28. §. *si Vasallus.* Sed usufructarius ne quidem in melius fundum mutat, nisi consentiente proprietario, 1. 13. §. 7. & 8. l. 14. l. 44. & l. 61. ff. *de usufruct.*

## TH. VII.

Vasallus jus suum ad omnes descendentes transmittit, modò sint habiles ad præstanda servitia, v. *disp. V. tb. XX. seqq.* Ususfructus autem tanquam servitus personalis ad nullos heredes transit, §. 3. I. *de Usufr.* Imo, licet heredibus simul concessus fuerit; hæc tamen con-

## DISPUTATIO VII.

concessio ultra primum gradum non extenditur, l. 14.  
C. de Usufr. Proprietas enim alias semper maneret  
prorsus inutilis.

## TH. IX.

Vassallus vi utilis dominii sibi competentis ab  
onere fatisfandi in judicio liberatur, & sic ad classem  
eorum, quos *possessionatos* vocant, refertur. Aliud au-  
tem in usufructuario, l. 15. §. 1. ff. qui fatisf. cog. Carpzov.  
P. I. C. 5. Def. 20. & 21.

## TH. IX.

Vassallus non solum ea percipit, quæ *ex re*, (id est  
fructus naturales) & propter *rem*, [ id est civiles; ] sed  
hæc etiam, quæ *occasione rei* percipiuntur, e. g. thesau-  
rum, Rosenthal. *de feud. c. 5. concl. 93. n. 6.* Mauritius *dec.*  
*13. pos. 1.* Sinoldus dictus von Schütz *Colleg. feud. c. 8.* Il-  
lustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 2. qu. 18.* Contra usufru-  
ctuarius hæc ultima sibi adscribere nequit, quia *fructu-*  
*um* nomine non veniunt, v. l. 63. §. 3. ff. *de A. R. D. Ca-*  
*stillo de usufr. c. 37.*

## TH. X.

Quamvis autem hæc opinio de jure Vassalli intui-  
tu thesauri communis sit; ab ea tamen recessit Marti-  
nus Bonacina *Disp. I. punct. 6. qu. 3. n. 8.* dimidium the-  
sauri saltem Vassallo, reliquum autem domino directo  
ad scribens. Et hanc Bonacinæ opinionem defendere  
quoque nifus est Dn. Beyer *in pos. jur. feud. c. 8. pos. 68.*  
*seqq.* Sed nobis communis sententia adhuc placet, un-  
de de rationibus dissentientium paucis videndum erit.

## TH. XI.

Dicunt (1) *hoc commodum non esse ordinarium*, adeo-  
que Vassallum illud prætendere non posse; Resp. Hoc  
suppositum videri erroneum, ac si Vassallus saltem ha-

beat commoda ordinaria, id est fructus, quia tunc non plus haberet, quam usufructuarius, quod tamen nemo afferet. Dimidia enim proprietatis, qua pollet vasallus, efficit, ut *omnis feudi utilitas* ad eum pertineat.

## TH. XII.

Instant (2) *hoc commodum non accedere rei feudali, sed jam antea in eadem fuisse*; Resp. quia tamen hoc tunc temporis ignorabatur, & deinde saltem apparebat, nihilominus pro accessione habetur. Non esse enim & plane non apparere hactenus in jure sunt synonyma. Et illo fundamento admissso thesaurus nunquam speciem accessionis constitueret, ne quidem si fundus aliquis pleno jure ad nos spectaret, quod tamen sustineri nequit.

## TH. XIII.

Addunt (3) *thesaurum acquiri jure proprietatis, ergo eundem equaliter inter Dominum directum & Vasallum dividendum esse, quia uterque de proprietate pro dimidia participat*; Resp. Regulam illam: quicunque equaliter participant de proprietate, equaliter quoque utilitatem rei sibi vindicant, procedere quidem regulariter, v.g. si duabus res aliqua donata, legata, &c. qui tunc æqualiter omnibus dominii commodis fruuntur; sed simul tamen eam limitandam esse: nisi alteri jus percipiendi utilitatem solum & unicè competat, quod in Vasallo deprehenditur. Et ergo dominus directus huic effectui, participandi de utilitate fundi feudalis, qui alias ad ipsum pertinuisset, eo ipso renunciavit, dum de jure utendi sibi nil quicquam reservavit, sed illud Vasallo solum & unicè concessit.

## TH. XIV.

Quamvis itaque in *thes. IX.* dictum fuerit, usum-fru-

## DISPUTATIO VII.

fructum (quatenus scilicet servitus personalis est) thesaurum non habere coniunctum; ab illo tamen ad præsentem casum non valet consequentia. Hic enim ususfructus non ex jure servitutis, sed dominii profluit.

## TH. XV.

Vasallus, licet feudo servitudes imponere non possit, nisi in sui & descendantium suorum præjudicium; acquirere tamen easdem in perpetuum potest, 2. F. 8. §. rei autem & §. econtrario. v. 2. F. 28. §. si Vasallus. Aliud in usufructuario, qui illas ne quidem acquirere valet, ut scilicet fundo perpetuo inhæreant, l. 15. §. 7. ff. de usufr.

## TH. XVI.

Quæstiones illas: *An Vasallus feudum locare, fructus ex eo perceptos vendere, donare, &c. possit?* resolvit vulgatum illud: Vasallum omnia facere posse, per quod nec Agnatis, nec Domino futuro tempore præjudicium contingit. Tale quid autem hic non deprehenditur.

## TH. XVII.

Unde magis è re erit, in quæstiones nonnullas alias paulò intricationes inquirere. Ex illis hæc quoque est: *An Vasallus de feudo transigere queat?* Licere hoc ipsi expressè dicitur 2. F. 26. §. si Vasallus. Sed nihilominus tamen D.D. hic scrupulos movent.

## TH. XVIII.

Scilicet distingvunt, *an transactio tendat ad feudi conservationem*, id est, ut alter, qui in feudum prætenderat, accepto aliquo à prætensione sua desistat: vel *an per transactionem feendum in tertium illum prætendentem transferatur*. De priori casu loqui dicunt textum allatum, non de posteriori, v. Schrader *de feud. P. 8. c. 1. num. 44.* Clarus §. *feendum. qu. 38.* Cujacius *de feud. l. 4. tit. 23.* aliique apud Struvium c. 12. aph. 8. n. 6.

## TH. XIX

## TH. XIX.

Nobis verò ista distinctio à mente citati textus paululum aliena videtur. Neque enim verosimile est, illum ad casum priorem, si Vasallus feudum propter transactionem retinet, respexisse, quia de hoc nemo unquam dubitare potuit. Redditur enim eo ipso teudi conditio melior. De eo autem grave dubium superesse poterat, annon feudum per transactionem in alterum transferri queat? & hoc dubium extra controversiam removere voluit textus sæpè allegatus.

## TH. XX.

Fatemur equidem, haud raro in Legibus & Romanis & Longobardicis decisionem rerum adterri, quæ nullam dubitandi rationem habere videbantur; Interim tamen certum quoque manet, quod in dubio hoc factum esse non præsumatur. Adstipulantur sententiæ nostræ Sinold *Colleg. feud. c. 8. p. m. 123.* & Struv. c. 12, apb. 8, num. 5.

## TH. XXI.

At verò, instas, juxta hanc tuam opinionem iis contradicis, quæ asserueras *thes. XVI.* Ita enim transgendo conditio Domini & Agnatorum deterior redditur; Resp. Sufficit, quod hoc non fiat ex mera Vasalli voluntate, sed subsit alienatio necessaria, unde etiam à Feloniæ crimine excusatur Vasallus, quia sic dominum contemnere non videtur. Interim libenter largimur Struvio *loc. cit. num. 7.* tutius facere Vasallum, si transactionem non nisi consensu Domini & Agnatorum ineat.

## TH. XXII.

Sicuti autem vulgo à transactione ad compromissum argumentum duci solet, v. Lauterb. *ad tit. ff. de recept.*

## DISPUTATIO VII.

9

recept. ibique alleg. ita quoque Vasallum de feudo compromittere posse censemus per textum 2. F. 24. pr. ubi de casu agitur, si de ipso feudo quæstio sit. Diff. Sinold, loc. cit. sed ad hunc locum nihil respondet.

## TH. XXIII.

Licita quoque Vasallo est *subinfeudatio in infinitum*, modò feudum in æque habilem & eodem modo transferatur in sub-vasallum, quo illud subinfeudans habuit, 2. F. 34. §. 2. Illustr. Dn. Stryk *Ex. jur. feud. c. 19. qu. 27.* Resoluto autem jure subinfeudantis, jus subvasalli pariter resolvitur, v. Frantzk. *de Laudemis c. 14. num. 44.* Vocatur ejusmodi subfeudum Germanis *ein Aßterlehn / Wehner. Obs. pract. hac voc.*

## TH. XXVI.

Quæstiones de facultate *refutandi feudum* non quidem accuratè loquendo ad materiam de effectibus dominii utilis pertinent; interim tamen cum de illa materia communiter hic tractari soleat, ita tenendum. Quemadmodum quilibet favori suo renunciare potest, modò illa renuntiatio non simul vergat in tertii præjudicium: ita quoque Vasallo intuitu feudi idem licetum erit sub eadem tamen restrictione.

## TH. XXV.

Refutatio illa fieri potest vel *in manus Domini*, vel *filiorum*, vel *Agnatorum à primo acquirente descendentium*. Primo casu ea subsistit, quamdiu Vasallus refutans ejusque descendentes adsunt, quippe qui patris factum semper præstare tenentur.

## TH. XXVI.

Dominus Vasallo refutanti sese hic opponere nequit. Res enim hic perinde se habet, ut in jure civili intuitu Mandatarii mandato renuntianti, v. §. II. f.

B

*de man-*

*de mandat.* Uno enim ex Vasallis renunciantे non deficit alter, qui ad feudum acceptandum & eadem servitia præstanta promptus est atque paratus. Eadem autem, quæ in d. §. ii. exceptio habetur, & hic subjungenda, scilicet, modo renunciatio non fiat intempestivè, v. g. si dominus jam sit in procinctu, &c. conf. Illustr. Dn. Stryk *Ex. jur. feud. c. 22. qv. 12.*

## TH. XXVII.

Secundo casu quin subsistat, nullum dubium subsesse videtur. Et ne quidem Domini consensu hic opus est. Ipsi enim per hanc refutationem nullum omnino præjudicium infertur. Nihil quippe adest, quam, ut ita loquar, successio anticipata.

## TH. XXVIII.

Tertio casu itidem refutatio simpliciter subsistit, ita ut nec Domini, nec filiorum consensus exigatur. Domino siquidem plus commodi, quam damni ex hac refutatione obvenit, v. z. F 38. Latè de hac materia agit Sinoldus d. Etus von Schùtz *in Colleg. jur. feud. c. 8.*

## TH. XXIX.

Quod si personis planè extraneis, id est, a primo acquirente non descendantibus & sic jure succedendi destitutis, feudum refutetur: decisio paulò aliter formanda erit. Quemadmodum enim nulla alienatio Vasallo ex proprio arbitrio permissa est, sive ea fiat titulo lucrative, sive oneroso, ne quidem *si judicet pro anima*, id est, ad pias causas feudum leget, (quæ phrasis tamen papismum redolet,) v. z. F. 9. §. 1. ibique Dion. Gothofr. & z. F. 55. pr. ita nec ejusmodi refutatio, quæ cum donatione per omnia coincidit, sine dominic consensu valet, quin potius Vasallus hunc consensum negligens feloniam committit, v. Schrader *de feud. p. 8. c. 8. n. 11. Struv. c. 13. apb. 4.*

## TH. XXX.

## TH. XXX.

Supposito autem, Vasallum adhibuisse consensum Domini in refutatione feudi; hoc ipso tamen Agnatis jus succedendi, quod ex prima primi acquirentis investitura obtinuerant, non est interversum. Alteri enim per alterum iniqua conditio inferri nequit.

## TH. XXXI.

Quamprimum ergò Vasallus refutans ejusque descendentes mortui sunt, Agnatis competit jus revocandi feudum per utilem hereditatis petitionem & sic *jure successionis*. Neque hic distingvitur, an possessor feudi ex lucrativa, an ex onerosa causa illud acquisiverit. Utroque enim casu restitutio fieri debet, v. 2. F. 26. §. Titius. ita ut casu posteriori pretium non restituatur. Successio enim est gratuita. Illustr. Dn. Stryk. c. 20. qu. 9.

## TH. XXXII.

Quod si velint Agnati, ante jus successionis ipsis devolutum statim etiam *jure protimiseos* aut retractus revocare possunt feudum refutatum, idque sive refutatio facta sit in plane extraneum, sive in agnatum in remoto linea vel gradu etiam constitutum, si scilicet plures in eadem linea dispare gradu deprehendantur.

## TH. XXXIII.

Distingendum autem hic est, an feudum in tertium ex causa venditi, an ex causa alia, v. g. donati, permutationis, &c. translatum fuerit. Priori casu jus revocandi locum invenit, modo revocans idem pretium restituat & conditiones a tertio oblatas adimpleat, 2. F. 3. §. 1. quod & in iis casibus, ubi de jure civili jus protimiseos & retractus locum habet, ita observatur. Tunc enim refutantis nihil interest, utrum à revocante, an à tertio illo pretium accipiat, in pretium enim

B 2

non

## DISPUTATIO VII.

non cadit affectio & proinde revocationi se oppone-re nequit, v. Anton. *disp. feud. 10. thes. 1. lit. b.*

## TH. XXXIV.

Si vero' feendum ex causa alia, v.g. donationis aut permutationis, ad extraneum pervenerit, huic revoca-tioni locus non datur, v. Rosenthal *de feud. c. 9. Concl. 52. n. 14.* Sinold. *cit. c. 8.* Revocans enim hic idem præstare nequit. Donatio suscipitur ex speciali affectu erga certam personam. Hic affectus erga revocantem non deprehenditur in Vasallo refutante. Et in permuta-tione res illa, quam pro nostra accipimus, affectionis premium recipit, cui proinde alia à revocante oblata non respondet. Mylerus *ad Rumelin. Diff. 4. ad A. B. p. 2 tb. 27.* & quæ in materia revocandæ emphytevseos habet Brunnemann. *ad l. i. C. de fund. patrimonial.*

## TH. XXXV.

Revocatio feudi ex jure successionis intra spati-um triginta annorum fieri potest, ob ea quæ diximus *Disp. V. thes. IX.* ea autem, quæ ex jure protimiseos aut retractus suscipitur, intra annum à die scientiæ saltem conceditur, *2. F. 26. §. Titius.*

## TH. XXXVI.

Rectè autem hic distinguunt D D. inter *scientiam generalem & specialem*, & hanc solum nocere dicunt, non illam. Per *scientiam enim generalem* intelligitur sal-tem rumor, feendum esse venditum, qui sæpè falsus esse solet. Specialis autem supponit, ut simul de emto-re, pretii quantitate & termino solutionis constet, & sic plenaria certitudo adsit. Contra in termino revoca-tioni ex jure successionis præfixo ad *scientiam plenam* non respiicitur, Hartm. Pistor. *qv. 12. n. 28 29.* Struv. *S. I. F. c. 13. apb. 21. n. 14.* Anton. *Disp. feud. 10. thes. 6. lit. 6.*

TH. 37.

## TH. XXXVII.

Solent hic communiter quærere DD: An sicut de Vasallo supra diximus *th. XXV. & XXVI.* ita quoque domino refutatio Domini *direkti* competit? Nos hic nullam dubitandi rationem subesse deprehendimus. Vasallus enim ambabus manibus hanc proficuam refutationem acceptabit.

## TH. XXXIX.

Cum in thesi **XXIX** dictum si, alienandi potestatem Vasallo prorsus esse adem tam; non incommodate hic quæritur: an eadem prohibitio ad oppignorationem quoq; pertineat? Hic vero distincte respondendum erit.

## TH. XXXIX.

Regulariter principium illud procedit: Quicunque non potest alienare, ille nec oppignorare valet, e.g. maritus intuitu fundi dotalis *pr. 3. quib. alien. lic. l. fin. C. de reb. alien. non alienand.* Et juxta hoc principium eadem quoque utriusque prohibitio deprehenditur *2. F. 55. pr. Dn. Beyer pos. feud. c. 3. pos. 117.* Unde non solum oppignoratio effectu destituitur, sed simul etiam Vasallus feloniam committit & feudo privatur.

## TH. XL.

Moribus autem nostris pœna feloniae cessat. Et sic valet hypotheca in præjudicium constituentis & eius filiorum, Vultejus *de feud. c. 10. n. 43.* Illustr. Dn. Stryk *Ex. jur. feud. c. 19. qu. 9.* quorum jure resoluta & hypotheca resolvitur. Quod si Agnati consenserunt, horum quoque intuitu valida est, domino autem non præjudicatur, v. Brunnem. *ad l. 25. ff. de Adopt. n. 6.* ubi contra Carpzovium disputat.

## TH. XLI.

Quæritur: An dominus eo ipso in hypothecam consensisse videatur, si dixerit: *Wir confirmiren dies-*

B 3

sen

## DISPUTATIO VII.

sen Contract? Et recte respondetur, quod non, quia renunciatio juris sui in dubio non præsumitur. Ita ergo formalia concipienda: Wir confirmiren nicht allein diesen Contract, sondern consentiren auch in die darin geschehene Verpfändung als der Lehnsherr/ Illustr. Dn. Stryk. *Cant. Contr. sect 2.c. 4. §. 3. Carpzov. l. 4. Resp. 29.*

## TH. XLII.

Hactenus de commodis, quæ Vasallo ex utili dominio obveniunt. Quoniam vero regula æquitatis est, ut qui commoda habet, incommoda etiam in se suscipiat; ergo & de his nonnulla subjicienda ex iis, quæ à systematicis fusè tractari solent.

## TH. XLIII.

Removemus autem onera, ad quæ intuitu Domini obstringitur Vasallus. Hæc enim ad effectus domini directi pertinent & in *Disp. præced.* jam sunt recensita. Illa ergo remanent, quæ intuitu tertii præstanta veniunt.

## TH. XLIV.

Ut autem clarius & accuratius procedamus, tota materia in hanc quæstionem resolvitur: *An Vasallus successor debita antecessoris sui solvere teneatur?* Distingvimus.

## TH. XLV.

Aut successor est filius antecessoris, aut non. Ille regulariter omnia patris debita persolvit, etiam consensu domini non munita (*v. tb. XL.*) Hic regulariter ea non solvit, proprio enim jure succedit, non per defunatum, unde exceptio est, nisi simul sit defuncti heres allodialis.

## TH. XLVI.

Debita in utilitatem feudi contracta à quocunque successor-

## DISPUTATIO VII.

15

successore persolvuntur. Et ad horum classem etiam spectare censemus *residuum pretii*, quo *feudum emtum est*, licet nonnulli dissentiant adducti à Struvio c. 14. apb. 2. num. 1. quorum rationem, quod hoc debitum sit ex contractu, & adeo successorem non obliget, plane nihil stringere existimamus.

## TH. XLVII.

Dotalitium, das Leibgeding/Leibzucht/Witthumb/ à quocunque successore Viduæ defuncti est constituendum, non tamen ex dispositione juris Longobardici, sed ex moribus.

## TH. XLVIII.

Quantitas ejus ut plurimum talis esse solet, ut vi-  
dua quadruplicatas usuras dotis exinde percipere pos-  
sit; sed hoc ex arbitrio contrahentium dependet, He-  
nелиus de dotalit. c. 6. §. 17. Myler. ab Ehrenbach Gamol.  
Princ. Imp. c. 20. §. 11. Illustr. Dn. Stryk. Caut. Contr. S. 3. c.  
8. §. 34.

## TH. XLIX.

Dos & alimenta, quæ filiabus ex feudo præstan-  
tur, non habent certam determinationem, neque ex  
dispositione juris Longobardici, sed moribus saltem  
Germaniæ debentur, v. Mev. p. 3. dec. 367.

## TH. L.

De Expensis in funerationem Vafalli impenden-  
dis, an illæ ab Agnatis succendentibus solvendæ sint? con-  
trovertitur inter DD. Negativam tuetur Carpzovius  
P. 1. C. 46. Def. ult. Affirmativæ è contrario subscribit  
Struvius c. 14. apb. 20. ex hac ratione, quod hic summa  
æquitas subsit & singularis causæ favor, ne defunctus  
non sine quadam ejus injuria insepultus jaceat, hacta-  
men limitatione subjecta, si in alladio tantum non reperia-  
tur,


*tur, ex quo illi sumtus desumi possint. Quod si ergo hoc sufficit, successores feudales non sunt gravandi. Placet nobis sententia Struvii, cum regulariter effectus dominii esse soleat, ut aliquis ex re, cuius dominium vivus habebat, sepeliatur.*

## TH. LI.

In illa tamen controversia, an successores teneantur ad solvendum debitum, quod Vasallus ad praestandum servitium militare, apud nos zu *Auffbringung des Lehn-Pferdes* contraxit, subscribimus Carpzovio *I. c. all. def. 34.* sententiam negativam iterum sustinenti. Percepit enim Vasallus fructus ex feudo, ex quibus illos sumtus desumere potuisse & debuisse. Neque hic Vasallus aliquid fecit, quod ad perpetuam feudi utilitatem pertinet. In Marchia tamen Brandenburgensi contrarium statutum esse per Recessum Provincialem testatur Illustr. Dn. Stryk. *Ex. jur. feud. c. 21. qv. 28.*

## TH. LII.

Legitimam ex feudo filiabus non debere, facile patet. Quæ enim in jure civili de necessitate relinquendi Legitimam statuuntur, ad feudalia bona non pertinent. Exceptio est, nisi vel Pater omnia bona allodialia in feudum obtulerit domino, vel feudi comparatio titulo oneroso facta, omnem ejus substantiam exhauserit. Quæ enim querela in officiosæ donationis alijs liberis competit; illa quoque hic obtinet. Priori enim casu Vasallus offerendo donat domino: posteriori autem filiis, v. Struv. *c. 14. apb. 19.*



COLLEGII JURIS FEUDALIS  
DISPUTATIO IX  
sistens theses  
De  
**DELICTIS ET  
ACTIONIBUS FEU-  
DALIBUS,**

quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO,**

REGNI BORUSSIÆ , ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIARUM BRANDENBURG. HEREDE &c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R Ä S I D E

**JACOBO FRIDER. LUDOVICI,**

Jur. Licent. & Prof. Publ. Extraord.

Eruditorum examini submittit


**HENRICUS WILHELMUS STEUBE,**


Eques Mansfeldicus.

Ad d. Octobr. M DCCI. horis locoque consvetis.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr





### TH. I.

**P**erlustravimus hucusque in disputationibus nostris ea, quæ ad contractum feudalem constituendum requiruntur, & quæ eundem semel constitutum tām intuitu domini, quām vasalli consequuntur. Restat, ut nunc denique etiam subjungamus, quā ratione quis jure ex hoc contraktu quæsito iterum excidere possit, & quænam ē contrario actiones alterutri ad jus suum conservandum competant.

### TH. II.

Potest autem uterque contrahentium in legem contractū feudalis impingere, seu, ut stilo communiter utamur, **FELONIAM** committere. Unde etiam de distinctis hisce casibus distincte agendum erit. Et primò quidem de vasallo.

### TH. III.

Ante omnia tamen adhuc observandum, quod **Felonia**, der **Lehnsfehler**/**Lehnsverbrechen**/communiter à DD. *culpæ* nomine venire soleat. Sed hic vocabulum *culpæ* aliquatenus abusivè sumitur, aliter atque jure cīvili, dolum enim sub se comprehendit. Unde hic non inepte applicari posset distinctio alias usitata inter culpam *versutie* & *ignavie*, de qua v. Zasius *I. I. sing. resp. c.* *2. num. II.*

### TH. IV.

Potest etiam suo modo applicari distinctio, quam inter culpam *commissionis* & *omissionis* communiter trādunt,

dunt. Utroque enim modo in legem contractus peccatur, vel si aliquid committitur, quod omittendum; vel si omittitur, quod committendum erat. Et ergo feloniam pro dupli hoc respectu considerari poterit, prout etiam communiter fieri solet.

## TH. V.

Committit Vasallus aliquid vel *in ipsum Dominum*, vel *in extraneum*. Et priori casu *inuria dominum vel immediate tangit, vel mediate*.

## TH. VI.

Delicta *ipsum Dominum immediate tangentia non incommodè ad hæc tria capita revocari possunt, ut scilicet dicamus vasallum laedere vel vitam domini, vel famam, vel bona ejus, quibus capitibus alias quoq; ini-*  
*micitia capitalis includitur.*

## TH. VII.

Pertinent huc casus, quos vulgo afferunt, v. gr. si dominum dolose occiderit, aggressus fuerit, (stilo juris Longobardici assalterit,) impias manus ipsi intulerit, insidias vitae struxerit, graves item & inhonestas injurias intulerit, i. F. s. præcipue autem 2. F. 24. §. 2. vers. Porro si d. minum. Quo referri etiam posse putamus admensationem, sive manus elevationem ex 1. 15. §. 1. ff. de injur. item das Degen zucken.

## TH. II.

Porro huc refertur, si vasallus cum inimicis domini amicitiam contraxerit, 2. F. 57. add. 1. 28. C. de inoff. testam. ibi qd Gotbofr. si eum detulerit & servitia præstare recusaverit, 2. F. 24. §. 2. si credentiam revelaverit, 1. F. 17. si in causa criminali & civili non modica contra eum testimonium dixerit, 2. F. 33. §. 1. si feudum sine consensu domini alienaverit, 2. F. 24. in f. vel, *feudum esse dolo-*

## DISPUTATIO IIX.

dolose negaverit, 2.F.26. §. *Vassallus si feudum. si feudum incondite tractet, v. g. sylvas devastet, arg. 2. F. 27. §. 7. actionem famosam contra dominum instituerit, arg. 2. F. 22. §. Curia.*

## TH. IX.

Admittuntur etiam aliæ causæ, licet in textibus juris feudalis non sint expressæ, modò iisdem sint similes, aut *majores*, prout clare disponitur 2. F. 24. §. 2. vers. sed quia *natura*, ubi hujus rei dijudicatio solerti, discreto & æquitati obsecundare sollicito Judici relinquitur.

## TH. X.

Quæritur autem circa materiam de feudo alienato & exinde profluente feloniam, *an alienatio feudi presumatur, si vassallus omnia bona vendiderit?* Quemadmodum vero in causis pœnalibus præsumtio delicti exclusiva in dubio semper prævalet: ita quoque proposita quæstio recte negatur 2 F. 26. §. in generali, ibid. Gothofr. Joh. Bapt. Caccialupus in repet. cap. de feud. cognit. P. 5. num. 30.

## TH. XI.

Eo ipso etiam, dum in th. VII. diximus, vasallum dolose dominum occidere non debere: eidem defensionem cum cæde quoque domini conjunctam permisam esse innuimus, si à domino vita ejus injustè impetratur. Pertinet enim & huc vulgatum illud: *Ubi offensio est prohibita, ibi defensio permissa censetur.* Aliud tamen, si dominus directus simul Principis personam sustinet. Tunc enim, licet Princeps subditum injustè adoratur, huic tamen facultas interficiendi illum, nullojure est concessa.

## TH. XII.

Porro vasallus in ipsum dominum mediatè & per consequentiam delinquit, si eum cucurbitet, seu uxorem

A 3

domini

domini cognoscendo cornibus caput domini exornet,  
I.F.s. Hic etenim ornatus omnium risui exponit do-  
minum. Unde dicunt DD. quod is, qui tale flagitium  
committit, dominum habeat pro homine inerte, qui  
*babeat pro capite cucurbitam & peponem pro corde*, sive qui  
*pepone magis insulsus sit & dignus cucurbitarum pictor*, Rit-  
tershus. part. feud. l. 2. c. 5. n. 92. Sinold. Colleg. feud. c. 12. p.  
m. 209. quamvis alii aliter hanc vocem explicitent.

## TH. XIII.

Non verò exigitur, ut adulterium consummatum  
fuerit, sed & hoc sufficit, modò concubere se exer-  
cuerit, aut cum uxore Domini turpiter luserit, I. F.s.  
quò referuntur etiam oscula, quæ in dubio luxuriosa  
consentur, etiam in clericis, illustr. Dn. Stryk. Ex. Jur.  
feud. c. 23. qu. 15. v. Præsidis Disp. inaug. de Præsumt. bonit. sub  
Exc. Thomas habit. §. 16.

## TH. XIV.

Sed quid si nesciverit vasallus, hanc esse uxorem  
Domini, sciverit autem in genere, eam uxorem alicu-  
jus esse? Quin adulterium nihilominus committat,  
nullum dubium est, arg. l. 18. §. f. ff. de injur. Interim ta-  
men, quod feloniam commiserit, dici nequit, quia ces-  
sat animus dominum injuriâ afficiendi, qui tamen for-  
mam felonijæ specificam constituit,

## TH. XV.

Si cum vidua domini concubit vasallus, felonij-  
am non committit, cessat enim ratio in th. XII. addu-  
cta, I.F. 21. §. si quis, ibi: *Domino vivente*. Existimant equi-  
dem Rosenthal de feud. c. 10. concl. 27. n. 51. & Struv. S. J.F.  
c. 15. apb. 9. num. 9. distingui debere, an concubitus intra  
tempora luctûs peractus fuerit, an postea, ita ut priori  
casu poena felonijæ adhuc locum inveniat, non autem  
poste-

## DISPUTATIO IX.

7

posteriori, provocantes ad l. u. ff. de bis qui not. infam.  
Verum, cum jus feudale hanc distinctionem planè ignoret, eorum sententiæ subscribere non possumus. Eo ipso enim dum jus feudale requirit, concubitum peractum esse *vivente Domino*, omne id, quod domino mortuo accidit, simul removet, conf. Dn. Titius in *dem deutschen Lehn-Recht c. 26. §. 40.*

## TH. XVI.

Ad species feloniae refertur, si vasallus cum filia domini, aut cum ejus nepte ex filio, nuru & sorore, si hæc in ædibus domini commoratur & in capillis adhuc existit, seu innupta est, concubuerit, 1. F. s. pr. 2. F. 24. §. 2. Sed an tunc quoque, si saltem concubitum attentaverit? Affirmant hoc multi, sed textus citati de eo nihil disponunt. Unde rectius in regula manemus, quæ alias in jure traditur, conatum scilicet non puniri pœna ordinaria, Rittershus. part. feud. l. 2. c. 5. n. 94.

## TH. XVII.

Ad culpam *in extraneum* commissam refertur, si vasallus fratrem suum occiderit, vel nepotem, id est, filium fratri, 1. F. s. ea scilicet intentione, ut totam hereditatem habeat, 2. F. 37. tunc enim circa feudum deliquisse censetur, Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. 23. q. 29. dum illud modo illico & malis artibus ad se pertrahere intendit.

## TH. XIX.

Putat equidem Struvius c. 15. apb. 10. n. 1. quod in verbis: *ad hoc, ut totam hereditatem habeat*, quæ extant 2. F. 37. non contineatur restrictio aliqua, sed solum dolosi parricidii descriptio & exemplum, quod ipsum patere dicit & ex aliis textibus, e. g. 1. F. s. quibus ista verba non adjiciuntur, sed potius in genere parricidium inter-

ter delicta, propter quæ feudum amittitur, refertur; Verum enim verò, quod pace B. Viri dictum sit, hæc omnia contra principia juris genuina asseruntur.

## TH. XIX.

Quæro enim, annon occisio fratri aliquando fieri possit, ita tamen, ut ejus hereditatis lucrum me ad hoc non impellat? Quis dubitaret? Multæ enim aliæ inimicitiae possunt esse causæ. Quomodo autem his suppositis dici potest, intentionem consequendi hereditatem fratri pertinere ad descriptionem parricidii dolosi, id est, ad ejus essentiam, cùm tamen parricidium dolosum sine hac intentione fieri possit. Deinde verba: *ad hoc*, non exemplum indigitant, sed restrictionem, quod ipsa constructio ostendit. Et denique, quia alii textus generaliter loquuntur, hic autem 2. F. 37. limitationem adjicit, priores sine dubio ex hoc posteriore explicandi & limitandi erunt, prout regulæ bonæ interpretationis hoc exigunt.

## TH. XX.

Si quis patrem suum occidat, ut eo citius possessionem feudi acquirat; itidem feudi jura amittit, per ea quæ diximus in thes. IX. reliqua autem homicidia huc non pertinent, ne quidem illud, quando vasallus fratrem domini sui interfecit, 2. F. 37. ab init.

## TH. XXI.

Denique huc pertinet, si quis convasallum *prodat*, 2. F. 37. ita enim vox *traditionis* communiter & rectè explicatur. Et per hanc prodictionem dominus simul quoque damnum incurrit, unde quoque in d. text. hæc verba adjiciuntur, ut propter prodictionem convasallus in curia amplius stare non possit.

## TH. XXII.

## TH. XXII.

Quamvis verò dixerimus in *thes. IX.* quod præter causas in textibus juris enumeratas aliæ etiam admittantur, modo majores sint illis, vel saltem similes; illa tamen invalida prorsus est argumentatio, si quis ita inferre vellet: *Quæcunque causa sufficit ad infamiam irrogandam, illa quoque ad privationem feudi est sufficiens, v. 2. F. 24. §. in f.*

## TH. XXIII.

Neque enim sequitur, hoc delictum est atrox & nefarium, &c. ergò feudi privationem involvit. Unde facile nunc judicium ferri potest de quæstione: *An propter incestum Vasallus feudo suo privari possit?*

## TH. XXIV.

Affirmant illam non pauci, & inter hos quoque Struvius *S. I. F. c. 15. aphor. 10. num. 3.* Sed rationes ab illo adductæ tanti nobis non videntur, ut affirmativæ ejus subscribamus. Erroneum siquidem est, quod incestus sit *æquè atrox* crimen, ac parricidium, postquam scilicet *thes. XIX.* monstravimus, jus Longobardicum non loqui de parricidio in genere, sed de tali, quod ob feudum citius consequendum suscipitur. *Quis verò hoc ad incestum applicabit?*

## TH. XXV.

Nec videmus connexionem in eo, quod subjunxit, arguento: *Justinianus ob incestum amissionem aliorum honorum decrevit, E. & incestus amissionem honorum feudalium involvit.* A bonis enim allodialibus ad feudalia non procedit consequentia. Adde, quod ipse fateatur Struvius, Justinianum hanc constitutionem *Novelle. 12. c. 1.* iterum, ut solebat, per *Nov. 134. c. ult.* abrogasse.

## TH. XXVI.

Rectius ergò procedit Struvius, quando circa quæ-

B

stio-

stionem : *An Vasallus adulterium & homicidium committens feudo privetur?* negativam amplectitur loc. prox. cit. n. 5. ex ratione subjuncta, quod hic identitas rationis neutriquam adsit. Add. Finckelth. Disp. feud. 10. thes. 14.

## Th. XXVII.

Id tamen facile concedimus, ob crimen perduel-  
lionis à Vasallo commissum, ipsi quoque feuda auferri  
posse. Hoc enim delictum omnium reliquorum, quam  
atrocia etiam sint, est complementum quasi. Quod si  
ergo Vasallus tunc feudum amittit, si contra dominum  
directum aliquid machinatur: hoc multo magis tunc  
obtinebit etiam, si contra Principem insurget. Scili-  
cet, quia vinculum inter subditum & Principem est ma-  
gis arctum, quam illud, quod inter Vasallum & Domi-  
num intercedit; hinc sine dubio quoque prioris vinculi  
violatio majus delictum involvet, quam posterioris,  
v. thes. IX.

## Th. XXIX.

Ad culpam *omissionis* quid pertineat, ex natura con-  
tractus feudalis facile dijudicari poterit. Recensentur  
inter alios communiter etiam sequentes casus, v.g. si re-  
novationem investituræ intra statutū tempus non petat  
vasallus 2. F. 24. pr. si juramentum fidelitatis præstare re-  
cuset, ibid. §. 1. si servitia deneget, 2. F. 26. §. licet Vasallus.  
si machinationes contra dominum ab aliis agitatas do-  
lo sè reticeat: si domino justitiam non faciat, 2. F. 24. §. 2.  
ibique Gotfred. in not. lie. c. si filium, qui dominum of-  
fendit, requisitus ad hunc non deducat ad satisfacien-  
dum Domino, 2. F. 55. §. 2. si domini consensum in aliena-  
tione feudi voluntaria negligat, 2. F. 24. inf. Uno verbo,  
quando periculum vitæ, famæ, vel bonis domini im-  
minens, ubi poterat, non avertit, v. Anton. Disp. feud. II. tb. 8.

## Th. xxix.

## Th. XXIX.

**Quæritur:** An Vasallus feudum amittat, si non liberavit dominum inclusum, i.e. captum, ubi tamen potuit? & affirmativè decisa reperitur hæc quæstio 2. F. 24. §. 2. Sed quid ita fiet cum nostra thes. XLVI. Disp. VI. ubi contrarium asseruimus? Nil mutamus. Diximus ibi, quod Vasallus pro domino captivo lytrum solvere non cogatur, & hic nobis textus modo citatus non contradicit. Exigit saltem, ut Vasallus dominum liberet. Liberatio autem non solum lytri solutione, sed pugnando quoque fieri potest. Si enim & mortuo jam domino Vasallus exercitum ejus adhuc pugnantem deserere non debet, Illustr. Dn. Stryk. Ex. jur. feud. c. 23. qv. 37. multo minus Domino adhuc vivente, licet captivo. Et quod de lytri solutione non possit intelligi textus citatus, plurima loca parallela evincunt, in specie 2. F. 26. §. licet Vasallus. ubi Vasallus ne tunc quidem ad aperiendam crumenam compellitur, quamvis dominus perjurii notam incurrat, ob debitum juratum stato tempore non solutum.

## Th. XXX.

Quod si feloniam ipsum dominum mediatè vel immediate tangit, feudum ad eum tamdiu transit, quamdiu Vasallus delinquens ejusque descendentes adsunt. Si autem in extraneum commissa, Agnati statim ejus possessionem nanciscuntur, §. 2. F. 24. §. Denique sèpe.

## Th. XXXI.

Licet autem priori casu Vasallus delinquens ejusque descendentes jure feudi excidant; hoc tamen Agnatis neutquam nocet, quippe qui proprium jus ex prima investitura habent atque adeò ipsis per alterum iniqua conditio inferri nequit. Statim ergo patet mi-

B 2  
sera

sera subtilitas Petri Gudelini *de jure feud. p. 5. cap. 4. n. 3.* dicentis, quod Vasallus ingratus non quidem directo agnatis nocere possit, bene tamen per consequentiam.

## TH. XXXII.

Alia est quæstio, *an posteriori casu Dominus Vasallo feloniam invitis agnatis remittere possit?* Placet affirmantium sententia, quia non Agnati, sed Dominus jus habet, Vasallo feudum auferendi. Quilibet autem juri suo renunciare potest. Neque hic Agnatis accuratè loquendo damnum infertur, sed lucrum saltem, quod ex anticipata possessione sperabant, intercipitur, quod semper fieri potest.

## TH. XXXIII.

Aliud tamen dicendum, si dominus jam contra Vasallum processerit eique per sententiam feudum abjudicaverit. Tunc enim Agnati statim jus perfectum nanciscuntur, quod ipsis invitis iterum auferri nequit. Et de hoc casu rectè explicat Struvius *c. 15. tb. 12. n. 10. textum 2. F. 31.* propter verba: *iterum acquirat, quæ præcedentem ablationem sine dubio supponunt.*

## TH. XXXIV:

Dominus & Vasallus ad mutuam fidelitatem obligantur. Unde dominus ob easdem causas dominio directo excidit, ob quas Vasallus dominio utili, *2. F. 26. §. Dominio. v. 2. F. 33. §. 1.* modo natura fœderis inæqualis inter dominum & Vasallum intercedentis aliud non sva-deat, *v. Disp. VI. tb. XXIII. Anton. disp. II. tb. I. Sinoldus dictus von Schüß Colleg. feud. c. 12. p. m. 21.*

## TH. XXXV.

Quantum ad actiones feudales attinet, illæ vel ad *realium*, vel ad *personalium* classem referendæ veniunt. De prioribus jam suo loco dictum *Disp. VI. thes. XLI. & disp.*

## DISPUTATIO IIIX.

13

*Disp. VII. tb. V.* quibus hoc assertum generale subjungi potest: Vasallum eo modo dominium suum utile tueri posse, quo dominus plenus dominium plenum defendit. De personalibus itaque nonnulla addenda erunt.

### Th. XXXVI.

Oriuntur hæc ex contractu feudali, & dantur ad implementum illius, quod ex natura dicti contractus debetur, v.g. ad feudum tradendum, evictionem præstandom, laudem solvendum, &c. Quale vero nomen talibus actionibus tribuendum, an condicitionis ex moribus, actionis ex stipulatu, &c. misera & frustranea est subtilitas. Necessitas enim, quæ apud Romanos erat, cujuscunque actionis nomen ob formularum diversitatem specialiter exprimendi, apud nos plane cessat. Sufficere ergo nobis potest, si dicamus, esse *actionem ex contractu feudali*.

### Th. XXXVII.

Quod si felonía vel à Vasallo, vel à Domino commissa fuerit, priori casu *condicō causa data, causa non servata* competit, i. F. 21. posteriori casu nomen speciale in jure Longobardico non reperitur, potest ergo *condicō ob non servatum contractum feudalem* Vasallo competens nominari.

### Th. XXXIX.

Quoad Judicem feudalem ita distingvunt: Aut lis est *inter plures convasallos*, & tunc Judex competens est Dominus, 2. F. 55. §. 2. aut *inter Dominum & Vasallum*, & tunc pares Curiæ judicant, d.l. quos priori casu etiam Dominus adhibere debet, si controversia sit de feudo non regali, i. F. 18.

### Th. XXXIX.

Sed hæc quidem omnia ad mores nostros non qua-

B 3

drant.

drant. Unde nec cum communi D.D. schola dicimus, jus Longobardicum hac parte apud nos esse abrogatum, sed potius, illud nunquam receptum fuisse. Illud quidem ex natura negotii profluit, quod si inter convassallos lis existat, dominus Judicis vices sustineat, adeoque & apud nos adhuc locum invenit; sed pares curiae in dijudicandis feudorum controversiis, nunquam adhibuit Germania. Loquimur autem de feudis mediatis. Quod si ergo Dominum vasallus convenire velit, tunc si dominus persona privata est, causa ad Judicem ordinarium pertinet; si simul est Princeps Imperii, vel convenitur in summis Imperii Tribunalibus: vel in foro, quod elegit Princeps & cui se submisit, v.g. in Saxonia Elector & Duces reliqui Lineæ Albertinæ in Curia Provinciali Lipsiensi: vel certis Consiliariis cognitionem causæ demandat, relaxato prius vinculo, quo ipsi obstricti erant.

## TH. XL.

Modus procedendi idem est, qui in causis civilibus, & specialia, quæ jure Longobardico obtinent, iterum in Germania nunquam fuerunt recepta, Illustr. Dn. Stryk *Ex. jur. feud. c. 25. qu. 12. § 23.*

## TH. XLI.

Ad probandam ergo feloniam hodiè duo testes sufficiunt, Id. c. 12. qu. 15. licet jus Longobardicum quinque requirat 2. F. 27. Nec ullius momenti hic est ratio Gothofredi *ad d. l.* qui ostendere intendens, dispositionem juris Longobardici in ipsa æquitate naturali esse fundatam, ita subjungit: *Cur tam varie? ingratia crimen patet latissime, ut quod feudi privatio sequatur. Proinde plures testes exiguntur.* Si enim haec ratio valeret ad probandum homicidium, &c. adhuc plures testes requirerent-

## DISPUTATIO IIX.

rerentur, quippe quod privationem vitæ involvens  
adhuc longè latius patet, quam felonia.

### TH. XLII.

Jure Longobardico Vasallus indiciis gravatus non  
solum ipse juramentum purgatorium præstare tene-  
tur, sed & simul cum ipso duodecim Compurgatores  
sive sacramentales, quorum sex esse debent ex conjun-  
ctis, sex reliqui autem extranei esse possunt, 2. F. 33.  
qui de credulitate jurant.

### TH. XLIII.

Idem jure Canonicō statutum reperitur, ita ta-  
men, ut hic numerus Compurgatorum sit arbitrarius,  
v. c. 8. & 10. X. de purg. Canon. Desselius Erotēm. jur. Canon.  
l. 5. tit. 34. qv. 3. quem ritum ineptè ex jure Mosaico Ex.  
22. v. 8. & 9. deducit Camillus Borellus in Decis. tit. 53.  
Conf. Ziegler ad Lancellott. l. 4. Tit. 2. §. 2. verb. & certa  
*Compurgatorum manus*. Rectius ex jure veteri Germa-  
nico autem eundem derivat Henric. Gieseberhtus Peric.  
Statutor. Concl. 3. apud Dn. Beyerum in posit. ff. tit. de ju-  
rejur. pos. iii. juxta quem Compurgatores erant ipsi te-  
stes, articulis probatorialibus hodiernis, interrogatoriis  
& solennibus testimoniorum rotulis tunc prorsus ces-  
santibus.

### TH. XLIV.

Quemadmodum verò mos veterum Germano-  
rum per monomachiam seu duellum: per ferrum can-  
dens, prunas & rogum: per aquam denique ferven-  
tem se purgandi ab inculpatione criminum protinus ab  
usu recessit, v. Ziegler loc. prox. cit. §. 1. ita quoque in  
feudalibus Compurgatores illi seu sacramentales pror-  
sus cessant, & is solus, qui indiciis gravatus est, jura-  
mentum purgatorium præstat.

### TH. XLV

## TH. XLV.

Quemadmodum in causis civilibus Actori incumbit probatio, eaque vel per testes, vel per instrumenta, vel per juramenti delationem fieri potest: ita idem quoque in processu & causis feudalibus locum invenit. Admittuntur quoque eadem exceptiones & contra personas & dicta testium, quæ in civilibus causis opponi consueverunt.

## TH. XLVI.

Contra sententiam gravamen involventem quælibet remedia suspensiva tam Vasallo, quam Domino pro re nata competit, v. g. Appellationis, & in Saxonia Leuterationis, alibi Revisionis, supplicationis, restitutionis in integrum &c. Ubi eodem modo, ut alias, causa pertractari solet.

## TH. XLVII.

Tandem postquam sententia in rem judicatam transiit, executio sequitur, & ita toti processui, non minus ac Disputationibus nostris feudalibus imponitur

**F I N I S**



Ius feud 157

